SAMVELIS LIB. BAR.
DE PVFENDORFF

# JVS FECIALE DIVINVM

SIVE
DE

# CONSENSV ET DISSENSV PROTESTANTIVM

EXERCITATIO POSTHVMA,
*INDICE LOCVPLETISS. AVCTA.*



*FRANCOFVRTI ET LIPSIÆ,*
APVD JOH. BERNHARD HARTVNG.
MDCCXVI.

Zach. VIII. v. 19.
VERITATEM ET PACEM
AMATE.

# LECTORI
## PIO ET CANDIDO SALUTEM.

*POsthumum, qui Tecum nunc communicatur, Tractatum Illustris Autor beatæ memoriæ ipse publicam in lucem edere, sinceræ Veritatis studio permotus, decreverat. Sed fata prohibuerunt, dum ancipiti primum morbo correptus, mox acerbissima morte præventus Vitæ pariter & operarum, Reipublicæ gnaviter utiliterque præstitarum, pausam fecit. Suis tamen, quos reliquit, Amicis, antequam sanctissimam exhalaret animam, serio*

*præcepit, ut hanc à ſe elucubratam Exercitationem publici juris facerent; quam ultimam piamque voluntatem exſecuturi ſuperſtites, cum exemplo Autoris manuſcripto ea, qua fieri potuit, diligentia collatum, typis excudendum curarunt Tractatum hunc, quem, benevole Lector, benigne accipies, & ea, qua ſcriptus eſt, mente, cum ex toto Tractatu, tum vero potiſſimum ex* §. 61. *cognoſcenda, hoc eſt, pacis ac veritatis ſtudioſa perleges. Vale.*

SAMV-

# SAMUELIS LIB. BAR. DE PUFENDORF DE CONSENSU ET DISSENSU INTER PROTESTANTES EXERCITATIO.

## EPITOME.

*Calamitatibus hominum causam praebet eorum malitia;* 2. *In quarum occasionem quoque arripitur Religio.* 3. *Quatenus circa concilianda Religionis dissidia laborandum.* 4. *Tolerantia dissidentium, est vel Politica;* 5. *Eaque omni-*

*moda aut restricta; 6. vel Ecclesiastica. 7. De conciliatione diversarum opinionum. 8. Dissensio est vel circa dogmata, vel circa emolumenta. 9. Controversiæ circa sola dogmata funditus possunt excuti. 10. Controversiæ circa emolumenta videntur irreconciliabiles. 11. De Religione solida, ac superficiaria. 12. Inter Protestantes & Pontificios frustra conciliatio tentatur. 13. Examen formulæ cujusdam super compositione inter Protestantes & Pontificios. 14. Quidam toto Systemate differunt. 15. Quidam circa aliquot duntaxat Articulos dissentiunt. 16. Specimen Systematis Theologici, in quod omnes Protestantes consentire posse videntur. 17. Præsupposita, aut postulata. Cognitio Dei naturalis non est sufficiens. 18. Dari Religionem revelatam rationi utique congruit. 19. Non sunt idoneæ rationes divinas revelationes in dubium vocandi. 20. Veræ religioni inest pactum. 21. Peculiaris indoles pactorum inter Deum & homines. 22. Primævum pactum Dei cum homine. Primæva hominis conditio. Intellectus primævi hominis. 23. Voluntas primævi hominis. 24. Pactum primævum Dei cum homine. 25. De arbore vetita. 26. De statu hominis post lapsum, ubi de peccato originali. 27. Fœdus Dei cum hominibus interveniente*

*Mediatore.* 28. *Fœderis hujus prima promulgatio.* 29. *Ex hoc fœdere resultans religio.* 30. *Fœdus particulare Dei cum Abrahamo.* 31. *Fœdus Dei cum populo Israelitico, mediatore Mose.* 32. *Ejus fœderis conditiones.* 33. *Ejus fœderis Sacramentum.* 34. *Religionis Judaicæ indoles.* 35. *Religio Judaica Reipublicæ fuit innexa.* 36. *Complementum novi fœderis Adamitici;* 37. *Quod constat conventione Dei Patris cum Filio.* 38. *Et Salvatoris cum hominibus.* 39. *Id fœdus præsupponit Mysterium Sacrosanctæ Trinitatis.* 40. *De Mediatore novi fœderis.* 41. *Is est Deus,* 42. *& homo,* 43. *in una persona.* 44. *Unionis personalis indoles.* 45. *Ejus consectarium.* 46. *Quid humanæ naturæ ex hac unione accesserit.* 47. *Fœdus hoc minus proprie Testamentum dicitur.* 48. *Conditiones fœderis ex pacto Salvatoris.* 49. *Ejus fœderis promulgatio.* 50. *Summa præstandorum à parte hominum.* 51. *Per fidem fit ingressus in fœdus. Justificatio.* 52. *Sacramentum initiationis Baptismus.* 53. *Ingressum in fœdus comitatur regeneratio.* 54. *De Sanctificatione velut necessario fructu justificationis & regenerationis* 55. *Sanctimoniæ summa capita sunt, omittere malum,* 56. *& facere bonum, ac Christianis virtutibus studere.* 57. *De Sacra Eu-*

*charistia.* 58. *De materia invisibili ejus Sacramenti.* 59. *Eorum, qui huic fœderi accedunt coalitio.* 60. *Fundamentales fidei Articuli quinam?* 61. *De controversiis inter Protestantes;* 62. *Et quidem circa personam Christi.* 63. *Circa Sacram Cœnam.* 64. *Controversiæ de Gratia & Prædestinatione.* 65. *Origo harum controversiarum.* 66. *In his controversiis sunt aliqua hominibus imperscrutabilia.* 67. *Absolutum decretum admitti non potest.* 68. *De causa particularitatis.* 69. *Controversiæ minoris momenti.* 70. *Strictura in Petri Juriai consultationem de pace inter Protestantes ineunda. De voluntate inefficaci.* 71. *De voluntate Dei legislatoria & decretoria.* 72. *Præscientiæ divinæ indoles.* 73. *De vocatione reproborum.* 74. *De voluntate Dei condiционata.* 75. *De futuris Contingentibus.* 76. *De universali Dei benevolentia.* 77. *De modo conciliandi dicta, quæ in hac materia sibi invicem repugnare videntur.* 78. *De universali redemtione per Christum, & contra hanc primum Juriai ratiocinium.* 79. *Secundum Juriai ratiocinium.* 80. *Tertium.* 81. *Quartum ratiocinium Juriai de vocatione.* 82. *Quintum.* 83. *Sextum.* 84. *Loca Scripturæ vindicantur.* 85. *De ordine decretorum divinorum.* 86.

*Num prædestinatio sit facta citra intuitum fidei?* 87. *De reprobatione.* 88. *De gratia irresistibili.* 89. *Cur disputando parum proficiatur?* 90. *De abdicatione priorum dogmatum.* 91. *De Logomachiis.* 92. *De tolerantia.* 93. *De silentio.* 94. *Conclusio.*

Contemplanti mihi generis humani conditionem id cumprimis commiseratione dignum videtur, quod præter mala, & incommoda, quæ fragilitatem nostræ naturæ consequuntur, homines sibi per vecordiam, pravasque libidines ultro infinitam calamitatum segetem arcessant, queis commodè carere poterant, si sanam rationem sequi placeret. Quam multi enim integra valetudine ad senectutem pervenire possent, ni per intemperantiam nativas vires frangerent, ac morborum agmina, præmaturumque senium, & ante diem mortes provocarent? Quam multis integro patrimonio in re lauta licebat ætatem exigere, ni per luxuriam, ac prave digestas rationes ipsi fortunis se suis evertissent? Quam contra molliter & jucunde multi vivere poterant, si

Calamitatibus hominum causam præbet eorum malitia.

avaritiæ, ac ambitioni modum ſtatuere noſſent, nec plura corradere, aut altius eniti laborarent, quam quo ratio, & blande invitans occaſio, certum divini placiti ſignum, invitabat? Quam infinita porro ſunt mala, quæ aliorum malitia hominum aliis impingit, quibus omnibus ſuperſederi poterat, ſi homines, quæ invicem officium dictat, exercere, quam pravis libidinibus indulgere, mallent? Et quid aliud integras civitates bellis, quo uno vocabulo immenſa malorum colluvies continetur, collidit, quàm malè temperata regnandi, fineſque proferendi aviditas? Cum contra & imperantibus, & ſubjectis felicibus eſſe liceret, ſi quilibet Principum ſuis contentus aliena haut adpeteret; ac ſuis potiùs ditionibus bene adminiſtrandis, quàm alienis evaſtandis ſtuderet. Et cum nunc imperantes maximas inter curas per mille artes fraudeſque, cum vicinis inter perpetuas ſuſpiciones, & contrarias machinationes vivant; Si prout bonorum virorum officium requirit, utrinque invicem agere velint, longe florentiore, ac nullis turbis concuſſo ſtatu gaudere poſſent.

§. 2. Attamen, ut homines pro-

pter res, quæ aliquod commodum vitæ humanæ adferre poſſunt, inter ſe certent, & quæ uni ereptæ alteri quid addunt, evidens ratio, etſi communi hominum officio haut quadrans, apparet. Enimverò id planè ab omni ratione abhorret, diſcrepantiam opinionum ab hominibus inter cauſas arripi, quæ eos ad mala invicem inferenda irritant; cum per diſcrepantem alterius opinionem alteri nihil decedat, per conſentientem nihil accedat; ac rejectio errorum etiam citra averſationem, & odium eſſe queat. Id quod ex irrationali hominum ſuperbia promanat, per quam, cum alias omnes ſibi æquales habere, ac de aliis non amplè minus, quam de ſe ipſis ſentire deberent, ſibi tantam præ reliquis prærogativam arrogant, ut par judicent, omnes eam, quæ ipſis ſedet, opinionem amplecti, ac ubi id renuant, indignentur, velut ſpreta ſua autoritate; cum aliis non minus pateat pari æſtimatione opinionem ſuam proſequi. Unde qui alterum erroris arguit ac damnat, ideo, quod opinionibus diſcrepet, non ſolum ſibimetipſi judicium fallere neſcium arrogat; ſed & credit fas ſibi eſſe eos punire, qui

In quarum occaſionem quoque arripitur Religio.

ſententiam ſuam ipſi ſubmittere abnuant; cum averſatio & odium non minima ſit pœnarum, quæ naturali conſecutione delicta comitantur. Atque iſthæc ingenii humani labes eo abſurdior eſt, quod alterius nihil interſit, qua ratione ego ad ſalutem tendere inſtituam, modo alias nihil debitorum officiorum adverſus eundem omittam; cum utique ipſius ſalus à mea, ac mea ab ipſius ſalute non dependeat. Unde peculiariter in odio, quod ex diſſenſu circa religionem oritur, præter ſuperbiam concurrit ſpecies quædam invidiæ, velut indignum ac non tolerandum habeatur, Numen quoque illis propitium eſſe, qui diverſo ab ipſis modo idem colendum cenſent. Atque iſthac abſurditate in univerſum quodvis odium laborat, quod è diſſenſu circa qualemcunque religionem promanat. Aſt illud maxime omnium deplorandum videtur, quod ipſa quoque Chriſtiana Religio, illa dilectionis, benignitatis, manſuetudinis magiſtra, quæ omnes ſibi addictos ſuaviſſimo fraternitatis vinculo connectere debebat, (Conf. Gen. 50. 17.) quæ etiam inimicos diligere, ac pro illis Deum orare jubet, per veſa-

niam hominum eo redacta est, dum in diversos sensus ejusdem scita trahuntur, ut & ipsa, quatenus ita lacerata est, non exiguam ansam ad calamitates orbis Christiani malè feriatis hominibus præbeat, & non sua quidem indole, sed ob intemperiem hominum multa, eaque gravissima mala suadere possit. Quod nemini ignotum est, qui odia inter dissidentes, atrocissimas persecutiones, & bella, queis controversiæ religionis causam, prætextum aut fomentum dederunt, cogitaverit. Quibus qui à nonnullis allinitur, color jejunus admodum est; quod, cum alii in exitiabili errore versentur, magnopere de iis mereantur, qui vel invitos servare quacunque ratione instituant; Sicuti mente motis etiam intentatis verberibus medicamenta rectè ingeruntur. Enimvero præterquam quod adhuc sub judice lis sit, num illi genuinam sententiam foveant, qui eam aliis per vim obtrudere conantur, Salvatori mundi longe alia ratio arrisit, doctrinam suam propagandi, quod è libris sacris, & praxi Apostolorum patet. Et cum idem regnum suum non de hoc mundo pronunciarit, seu quod non paris sit indolis cum aliis civitati-

bus inter homines institutis, vis & coactio ad istud vel condendum, vel servandum, aut propagandum nullum planè locum inveniunt. Et graviter increpabantur discipuli, qui cœlitus demissum ignem immittere parabant Salvatorem recipere abnuentibus. *Lucæ IX, 55. Nescitis, cujus Spiritus filii estis?*

Quatenus circa conciliandа religionis dissidia laborandum.

§. 3. Postrema isthæc calamitatum inter Christianos scaturigo ut obturetur, quin omnes pii in votis habere, & si quid valeant, in eum finem conferre teneantur, dubium haut habere puto; cum tales utique inter Εἰρηνοποιοὺς, pacificos numerandi sint, quos *filiorum Dei* elogio Salvator mactat. *Matth. V, 9.* Ac luculentum est monitum Apostoli *Philipp. II, 2. 3. 4. Complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes, unanimes, idem sentientes. Ne quid fiat per contentionem, aut inanem gloriam, sed humilitate animi alium quisque se præstantiorem existimet. Ne sua quisque spectetis; Sed unusquique quæ sunt aliorum.* Nec ideo ea res pro deplorata habenda est, quod multi circa eam incassum operam consumpserint, ludibrio, aut alio-

rum insultationibus expositi. Nam quæ rectis fundamentis nituntur, si non apud omnes, saltem apud quosdam applausum invenient, & quæ in præsens rejiciuntur, deinceps ubi nunc prævalentes animorum labes exoleverint, æstimatores suos habebunt. Ac sine dubio Deus istis rerum conversionibus sua tempora destinavit, quæ uti cum patientia piis expectanda sunt; ita bonam suam intentionem declarasse fas utique fuerit, nemini noxæ, saltem quibusdam fructui futuram. Si cui tamen aliquam hoc in negotio impendere operam placeat, ei ante omnia cavendum est, ne quod veritati præjudicium adferatur. Nam præstat salutiferam veritatem vel inter pugnas, & contradictiones retinere, quam mendacio altam inter quietem indormire. Sed nec ejusmodi concordiæ ratio est ineunda, quæ vel Christianæ Religionis indoli repugnet, vel plures calamitates generet, quam illæ ipsæ dissensiones non lacessitæ, aut irritatæ producebant. Sic ut quicquid est Christianorum, omissa aut insuper habita circa veritatem inquisitione in unam è dissentientibus sectam con-

ſentiant; aut abdicato proprio judicio circa ejusmodi electionem in certi alicujus arbitrium compromittant; aut ut ad unius ſectæ ſcita amplectenda vi compellantur; Id nec ſanæ rationi, geniove Religionis Chriſtianæ congruit, neque per conditionem humanarum rerum fieri poteſt. Sic & præpoſtera concordia fuerit, ſi quis omnes inter Chriſtianos diſſentientes ſectas pari claſſe cenſendas ducat, velut æque in una atque in altera ſalutem æternam nanciſci detur. Nam ita ſentienti præſupponendum fuerit; nullam inter Chriſtianos ſectam in errore verſari, qui ſalutis fundamentum ſubvertat; id quod nemo, quantum mihi videtur, admittet. Et quia inter plures diſcrepantes ſententias per rerum naturam non niſi una vera eſſe poteſt, qui omnes diſſentientes Religiones pari pretio æſtimat, nullam æſtimat. Igitur ut mala è diſſenſu circa Religionem tollantur, non niſi duæ viæ ſupereſſe videntur, *Tolerantia* & *Conciliatio*; Et hæc vel *omnimoda* vel *circa fundamentalia* duntaxat. Quo ipſo tamen nihil detrahere volumus ſapientiæ ac potentiæ divinæ, cui in proclivi eſt hiſce malis re-

medium curare, quod humana providentia proſpicere non poterat.

§. 4. *Tolerantia* indolem habet induciarum, queis belli effectus, & hoſtilitatis operationes ſuſpenduntur, manente ſtatu & cauſa belli. Sic per illam controverſiæ, & diſcrepantes opiniones ſuper capitibus fidei perſiſtunt; ut tamen pravi effectus ceſſent, eædemque in materiam odiorum, ac perſecutionum haut arripiantur, diſſidentesque eodem modo invicem agant, ac ſi nullum diſſidium foret: ſaltem ut unus alterum non prohibeat, quo minus diſcrepantem ſuam ſententiam publicè profiteatur, ac ſuo ritu ſacra obeat, nec eo nomine infeſti quid ei inferat. Et iſthæc tolerantia promptiſſimum videtur remedium ſiſtendis malis è diverſitate Religionum provenire ſolitis, poſtquam ita difficile eſt inolitas diu opiniones exuere, easque ad plenam conciliationem deducere. Quam & Salvator noſter commendare videtur, dum Zizania evellere prohibet, ne ſimul bonum triticum evellatur, & ut iſtis creſcendi ſpatium indulgeatur usque ad tempus meſſis. *Matth.* XIII, 18. *ſeqq.* ubi per tempus meſſis

Tolerantia diſſidentium.

non necessum est, ut intelligatur consummatio seculi, sed illa periodus, quam cuiq; sectæ divina providentia præfixit. Sicuti manifestum est multas hæreses ita evanuisse, ut non nisi nomen in historia supersit, quarum evulsio si intempestive, ac violenter tentata fuisset, orthodoxis haut parum molestiæ paritura fuerat. Est autem ea Tolerantia duplex; una quam *Politicam*, altera quam *Ecclesiasticam* vocare possis. Circa priorem observandum, cives ejusdem Reipublicæ circa sacra diffidentes duplici modo libertatem circa eadem obtinere; vel suo jure, vel concessione & beneficio eorum, quibus summum civitatis imperium competit. Ut in una civitate duæ pluresve Religiones existant non uno modo contingere potest. Sic si in aliqua republica magna civium pars à veteribus sacris discedat, reliqua civium parte in istis persistente, aut si ab universis vetera sacra deserantur, circa nova tamen formanda in partes discedatur, ac isti cives inter se mutuo suis cuique sacris libertatem stipulentur, utrique suo jure hancce obtinere censebuntur. Sicuti in Imperio Germanico Protestantes juxta atque Ca-

Est politica.

tholici suo jure libertate sacrorum utique suorum gaudent. Sic ubi in statu quopiam, ubi certa Religio publicè recepta est, Princeps ad aliam discesserit, aut à civibus Princeps sacrorum diversus ultrò assumtus sit, hic nova, cives vetera sacra colent, utrique suo jure, ac plena cum libertate. Sic in Germania ex constitutione pacis Osnabrugensis si ad Principem Lutheranum Reformata, aut ad Reformatum Lutherana ditio devolvatur, cives juxta ac Princeps sacrorum suorum libertatem jure suo retinebunt. Ac si maxime in ejusmodi statu imperans diversæ à civibus aut maxima eorum parte, sit Religionis, Principis tamen Religio non ideo dominans dicenda fuerit, reliquorum precaria, aut obnoxia; cum aliud sit Religio dominans, aliud Religio dominantis. Sic dum Jacobus II. Romanis ritibus addictus Angliæ regnum obtineret, Romana Religio haut ideo ibi dominans evaserat, sed id juris penes Ecclesiam Anglicanam manebat: & cum isto Rex vesano consilio Romanos ritus prævalere vellet, haut injuria solio excidit; Id quod & antea Sigismundo in Suecia

contigerat. Cæterum qui tali modo libertatem Religionis obtinent, illi proprie non possunt dici *tolerari*, sed illi tantum, qui eam non suo jure, sed ex concessione imperantium acquisiverunt. Id quod fieri potest & solet, quando advenæ sacrorum diversi recens in civitatem recipiuntur, qui & quod admittantur, & quod cum sacris à civitate diversis admittantur, id imperantium beneficio debent. Sic & ubi minor civium numerus vetera sacra mutet, quam qui momentum in republica faciat, aut opibus suis proprium jus quærere potuerit, illi ex imperantium indulgentia habent, quod recentes, ac separatos ritus citra turbationem exercere detur.

Eaque omnimoda aut restricta.

§. 5. Talibus igitur quæ conceditur religionis tolerantia Politica in eo consistit, ut permanente dissidio dissidentes haut eo minus sequestrato velut Religionum divortio in civili societate pacati vivant, & communi legum, imperiique civilis beneficio fruantur. Estque ea vel *omnimoda*, qua pari libertate cuivis suos ritus publicè exercere licet, ac nullo sacrorum discrimine quilibet omnibus juribus ac beneficiis civitatis gaudet. Vel *re-*

*stricta*,

*stricta*, quando validior pars alteri debiliori certis legibus circumscriptum duntaxat Religionis exercitium, puta intra privatas ædes, aut clausis foribus, indulget; aut à certis beneficiis civium, puta à gerendis honoribus, eam professos excludit. Hæc Politica tolerantia, ubi quæ alibi adduxi de *Habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem* §. 51. observentur, civitatibus insigni incremento cedere comperitur, gliscente ibi advenarum numero, ac læto admodum innoxiæ libertatis usu illis, quibus alibi ob diversa Sacra male fuerat. Quibus locis & Ecclesiæ Ministris major incumbit necessitas cognitionem sacrarum rerum sibi comparandi, ac morum Sanctimoniam colendi tuendæ existimationi, & declinandis adversæ partis exprobrationibus quā ubi nullis æmulis in segnitiem, ac dissolutam vitam resolvuntur. Sicuti & talibus locis plebs fere solidius circa scita Religionis suæ informari solet, quod clerus turpe sibi ducat auditores suos ad aliam sectā transire. Principibus autem ejusmodi civitatum, ubi diversæ Religiones tolerantur, id probe observandū, ut concessa cuiq;

libertas ſtricte relinquatur, nec permittatur, ut eadem palam, aut per obliquas artes violetur, puta, ne eidem ſectæ addicti per factionem, aut tacitam colluſionem, ubi omnimoda tolerantia eſt, ac multo magis ubi Religionis libertas ſuo jure obtinetur, diverſa ſentientes muneribus publicis, aut aliis beneficiis civitatis arceant, aut alia via iisdem moleſti ſint. Quin Princeps, ſi dextre ac æquabiliter heic procedat, ſentiet, cives diverſam Religionem à ſua profeſſos majore affectu ipſum proſequi, quam eadem ſecum ſentientes: quod iſti peculiaris humanitatis, ac gratiæ documentum ducant, ſi ob diverſam opinionem haud minoris à Principe æſtimari ſe videant; cum qui eadem cum Principe ſacra profitentur, iſta omnia ſuo jure exigant, nec eo nomine obſtrictos ſeſe arbitrentur. Quando tamen tolerantiam diſſidentium commendamus, id ab ipſis requirendum cenſemus, ne dogmatibus ſuis Theologicis admixtas habeant ſententias, quæ ſtatui civili adverſantur, & ſua ex indole turbas & diſtractiones in civitatibus producere aptæ natæ ſunt. Sicuti inter Romanæ ſectæ

addictos, sacerdotes præcipuè, multa dogmata foventur, quæ summis imperantibus civilibus summo præjudicio cedunt. Quorum scaturigo inde est, quod Ecclesiam peculiarem esse statum fingunt, planè independentem, & imperio civili nulla ratione obnoxium, cui statui addictos homines civitatibus necessum sit in sinu tolerare, qui tamen non imperantibus earum civitatum, sed summo sacrorum præsidi, extraneo utique Principi, subjecti agant. Saltem ubi ejus sectæ hominibus plane supersederi haut possit, cavendum ne extranei sacerdotes, & qui Romano Præsuli peculiari voto sunt obstricti, ibi nidulentur; quos coërceri nescia libido agitat istius pomœria proferendi, & ab eo dissentientium fortunas subruendi. Isthæc porrò, quæ super tolerantia circa religionem diversa sentientium diximus, ad eos duntaxat pertinere in aprico est, qui eadem civitate continentur. Nam diversas civitates quod attinet, uti circa alia quælibet earum sua libertate gaudet, nemini alteri obnoxia; ita quoque cum Religio vi ferroque propagari non debeat, qua Religione quælibet

earum utatur, nemini præterquam Deo rationem reddere tenetur. Adeoque quælibet civitas, quantum ad alias civitates, suo jure Religionem, quæ sibi arridet, colit, ac si eo nomine ab alia vi petatur, vim non minus quam alia quæcunque jura oppugnantibus, rectè opponere potest. Ast si civitas sit, quæ Religione utatur ad aliorum oppressionem impellente, adversus eandem paria remedia fuerint opponenda, quæ contra quoscunq; adhibere licet, qui in universum aliorum libertati imminent. Neque enim quæ de patientia inter persecutiones adhibenda divinæ literæ dictitant, ulterius porrigenda ducimus, quàm quando Principes viribus imperii sui ad obtrudendam invitis civibus alienam circa sacra sententiam abutuntur.

Vel Ecclesiastica.

§. 6. Tolerantia autem Ecclesiastica est, quando qui circa dogmata quædam dissentiunt, eo dissensu non obstante se invicem pro membris ejusdem Ecclesiæ particularis habent, & communionem inter se retinent; ac præcipuè ad eandem sacram Cœnam, quæ primaria velut tessera concordiæ inter Christianos habetur, pariter accedunt. Uti enim non quilibet er-

ror circa divina fundamentum fidei directe, aut per consequens evertit; ita etiam non ob quemlibet errorem aliquis è communione Ecclesiæ particularis est ejiciendus, aut ipse, ut se ideo ab ea separet, sat causæ habet. Sicut in veteri Ecclesiâ multos è superstitibus adhuc scriptoribus erroneasquasdam opiniones fovisse deprehendimus, qui tamen ideo communione Ecclesiarum suarum exclusi non sunt. Ac sine dubio magnæ intemperiæ eos agitarunt, qui quondam Pascha decima quarta luna celebrantes, communione excluserunt; cum ea res nullum articulum fidei tangat; ac si verum fateri velimus, istorum sententia rationi, & communiter recepto usui, memoriam alicujus facti celebrantium, magis congruat, quam ea quæ post in Ecclesia prævaluit. Sed & inter recentes Christianorum sectas non circa pauca dissentiri videmus non à singulis duntaxat, sed & integris cœtibus; qui tamen non ideo statim communione suarum Ecclesiarum ejiciuntur, aut se ipsos dissociant.

§. 7. Conciliatio autem diversarum opinionum hautquaquam ita fie- De Conciliatio-

ne diversarum opinionum.

ri potest, ut utraque earum vera declaretur; cum per rerum naturam duarum propositionum contradictoriarum alterutra non possit non esse falsa: Sed necessum est, ut una tanquam vera adprobetur, altera tanquam falsa rejiciatur. Sed nec ea conciliationis via est ineunda, ut omnes Religiones circa effectum producendæ salutis pares habeantur, seu ut declaretur, in quavis Religione salutem obtineri posse, saltem quæ Christianam se profiteatur. Hoc modo enim Religio Christiana non esset rationalis, ac rite inter se cohærens disciplina, sed congeries dogmatum inter se haut conspirantium, ac mutuo se destruentium. Neque ea dissidiorum componendorum via probari potest, ut dogmata, circa quæ dissentitur, problematica declarentur, & velut ad salutem nihil intersit, utri contradictionis parti adstipuleris. Quanquam enim in disciplina Theologica multæ quæstiones agitentur, quæ vel citra noxam plane ignorari queant, vel circa quas alterutri parti impunè assentiri possis; idque quia in sacro Codice multa traduntur, quæ ad salutis rationem præcisè necessaria non

ſunt, vel quia Theologi dogmata Chriſtiana ſubtilius diſcuſſerunt, quàm ad ſimplicitatem fidei ſalvificæ neceſſum erat: Tamen ut aliqua quæſtio problematica & indifferens declaretur, non ab arbitrio hominum pendet; Sed ad certum fundamentum iſta eſt exigenda, ut liquido conſtet, num eadem ad rationem fidei ſpectet, an verò extra eam cadat. Ut igitur perfecta conciliatio inter diſſidentes fiat, neceſſum fuerit, ut poſtquam controverſæ opiniones ex fundamento diſcuſſæ, & è genuinis dogmatum divinorum ſcriptis unius veritas, alterius falſitas liquido demonſtrata ſit, qui falſam opinionem hactenus foverunt, hac abdicata in veram ſententiam concedant. Enimverò ejuſmodi perfecta conciliatio, ut nempè illi hactenus erroneas opiniones aluerunt his ejuratis in veras ſententias cum reliquis conſpirent, præſenti humanorum morum facie optanda magis, quàm ſperanda eſt; non quod ipſæ ſententiæ planè adſtrui, aut convelli per ſuam naturam nequeant; ſed tum propter præjudiciorum à puero inolitorum pervicaciam, tum ob humani ingenii ſuperbiam, alios ſapien-

tiores videri dedignantem, ac vel in odium alterius ſemel placita tueri pertinacem, præſertim ubi diſſentientem impunè ſpernere poſſit. Unde ſi quis ejuſmodi conciliationem tentare inſtituerit, ſine dubio operam in caſſum conſumet, ac aliorum ſeſe ludibrio exponet. Ac ſi Deo aliquando Eccleſiæ dilacerationem ſolidare, perfectamque unionem eidem conciliare placeat, id quod è vaticiniis divinarum literarum de felici ac florente Eccleſiæ ſtatu, quæ nondum impleta videntur, multi augurantur, aliam animorum diſpoſitionem ad eum finem idoneam producturus eſt, è mutata per inſignem revolutionem rerum humanarum facie proventuram; Sed quæ in præſens nondum adparet; nec ab humana providentia proſpici poteſt, etſi Deo per modicam occaſionem eidem viam munire in proclivi ſit. Unde mea ſententia in præſens nil aliud ſupereſſe videtur, quàm ut proponatur *conciliatio tolerantiæ mixta*. Eam nos ita concipimus, ut ante omnia utrinque circa ſolidum, ac ſufficiens ſeu adæquatum fidei fundamentum conveniatur, ſeu ut illi fidei articuli liquido definiantur,

qui ad ſalutem ita neceſſarii ſunt, ut neque ignorari, neque negari, neque detorqueri, aut in diverſum ſenſum trahi debeant. Circa reliqua autem dogmata, quæ extra id fundamentum fidei cadunt, & circa quæ admiſſus error fundamentum fidei ne indirectè quidem ſubvertit, tolerantia adhibeatur, eamque ob cauſam nemo à communione particularis Eccleſiæ excludatur, aut ſeipſum ſeparet, ſibique peculiarem cœtum formet. Nam id fieri poteſt, ut error, qui in ſe rationem ſalutis tangere non videtur, alio reſpectu exitiabilis fiat; puta, ſi quis qualecunque dogma, quod in ſacris literis liquido traditur, proterve inficietur, eoque ipſo haſce mendacii arguat, earundemque autoritatem evertat; quo ipſo fundamentum fidei Chriſtianæ ſubruitur, quippe fallere neſcia iſtarum veritate ſubnixæ. Aliud autem eſt dogma aliquod in ſacris literis traditum inficiari, ideo quod aſſeratur, alium ſenſum eſſe eorum dictorum, ex quibus id vulgo adſtruitur. Heic enim autoritas ſacræ Scripturæ ſalva eſt, ac tantum circa genuinum ſenſum unius vel alterius loci diſceptatur. Alias ſi recta fides cir-

ca fundamentales articulos, positis cæteris requisitis, ad hoc sufficit, ut Deus æternam salutem alicui conferat, utque idem vivum Christi membrum sit: cur non eadem hominibus sufficere possit, ut invicem fraternam caritatem exerceant, & in una communione degant; si nihil in externos sensus incurrens obstet, quo minùs eum in communionem externam cæteri recipere audeant, qui fidem in corde ejus conspicari nequeunt. Videatur 1. *Corinth.* III. 11. 12. 13. 14. 15. & quæ ibi commentatur *Georgius Calixtus in expositione literali ad eam Epistolam.*

Dissensio est vel circa dogmata, vel circa emolumenta.

§. 8. Cæterum in hoc negotio probe est observandum, num dissensio sit circa sola dogmata; seu utrum dissidentes non aliam dissensionis causam habeant, quàm quia ab iis certa sacræ Scripturæ loca diverso sensu explicentur, ac placita semel opinione haut libenter velint decedere, vel quod solo veritatis tuendæ studio ducantur, vel quod existimationi, atque autoritati suæ aliquid decessurum metuant, si hactenus errorem fovisse visi fuerint, & è superbia ac invidia alterius sententiam amplecti dedignen-

tur: an vero obtentu dogmatum etiam *de emolumento* aliquo *certetur*, puta de imperio, potentia, atque opibus; adeoque num controversa dogmata emolumentis istis fulciendis defendantur, sicuti contraria dogmata iisdem subvertendis inserviunt. Prioris generis controversiæ etsi ipsæ quoque difficulter tolli queant ob superbiam ac pertinaciam humani ingenii, erroris pudorem aversantis; quod vitium cumprimis apud complures sacerdotes, ac & de schola homines, qui tractandis negotiis animum non subactum habent, frequens reperitur: non tamen usque adeo insuperabiles sunt, uti illæ, queis emolumenti multum subest, & ubi pro Deo Ventre certatur. Ac per experientiam constat, prioris generis controversias successu temporis paulatim mitigari, ac demum planè evanescere. Quamdiu enim superstites sunt primi controversiarum autores, aut qui circa eas defendendas præcipuè se jactarunt, hi quidem plerumque summo fervore pro adstruendis semel placitis ad extremum nituntur, nec facile rationem, aut temperamentum aliquod, autoritati suæ servandæ, admittunt.

Aſt his extinctis poſteri, utut in eadem ſecta perſiſtentes, hautquaquam tam enixo ſtudio eam ſententiam propugnant, nec adverſæ partis rationes tanto cum præjudicio rejiciunt, niſi forte & ipſi eo certamine inclareſcere inſtituant. Atque is fervor eò magis imminuitur, quo plus temporis elabitur; quod ut plurimum recentes lites magno cum calore agitentur, veteres ultro exoleſcant, ingeniis circa ea occupari faſtidientibus, quæ tam diu excuſſa ac ventilata ſunt, ut nihil amplius reſtet, quod pariendæ famæ materiam ſuppeditare poſſit.

Controverſiæ circa ſola dogmata funditus poſſunt excuti.

§. 9. Porro hujus generis controverſias, & reliquas omnes, quantum circa dogmata verſantur, arbitramur ita ad fundum uſque excuti poſſe, ut præjudicio non laborantes liquido judicare queant, ab utra parte veritas ſtet, & qui Sophiſticationibus tantum per meram pertinaciam ſeſe tueantur, infinities deſtructa ſubinde revomere haut erubeſcentes. Nam ubi datur principium fallere neſcium, quale in Theologicis controverſiis eſt ſacra Scriptura, non poteſt non demum controverſiarum eo ſpectantium exitus reperiri. Nec minus ad extremum

genuinus Sacræ Scripturæ ſenſus erui poteſt, ex quo omnis controverſiarum deciſio promanat, ſi legitima interpretationis adminicula adhibeantur. Aut ſi quæſtio aliqua ſit, cujus deciſio nullo modo ex hoc fonte peti poſſit, ea meritò inter problematicas, & ad fidei fundamentum haud pertinentes, & circa quas ad ſalutem nil interſit utri quis parti accedat, referenda eſt. Etſi ſatius fuerit omnes ejuſmodi quæſtiones ſupervacuas, litigia tantùm alere idoneas, è Theologia proſcribere. Id tamen ex hiſtoria tàm vetere quàm recentiori obſervaſſe videmur, controverſiarum conciliationem haud feliciter aut commodè ſuſcipi per colloquia inter Theologos inſtituta; non ſolum quia, ubi iſti incaluerint, ſæpè per inconſiderantiam quædam effutiant; quæ litem alant, ac novæ animorum exacerbationi anſam porrigant: Sed etiam quia ſumma rerum ibi fere ad eloquentiæ flumen, linguæ volubilitatem, diſputandi calliditatem, promptumque ingenii acumen redit; quibus artibus ſæpè prævalent, qui veritatem à partibus ſuis ſtantem non habent. Quod incommodum etiam Concilia ſequitur, in

quibus sæpè factionibus, pravisque artibus locus est, & ubi suffragia non pondere, sed numero fere valent. Sed si aliquod operæ pretium fuerit faciendum, judicaverim id vix feliciore successu posse obtineri, quam constituto aliquo consessu ad eam formam, uti sæpè inter quosdam Principes ex conventione receptum est, ut si quid litis eos inter surrexerit, ex utraque parte Commissarii pari numero delegentur, qui post rem mature disceptatam demum in conclusionem consentiant magis per modum conventionis, quàm decreti è pluralitate suffragiorum producti formatam. Qui consessus constare debeat. Non è solis Sacerdotibus aut Theologiam professis, sed cui adjungi debeant alii quoq; pietate ac prudentia conspicui viri, solida tamen rerum Theologicarum notitia imbuti, tum moderati, ac negotiorum tractandorum periti, non solùm temperando fervori, quo fere ejus professionis homines agitari solent; sed quia ipso jure divino, & ex natura regni Christi judicium de rebus fidei non ad Ministerium solùm, sed universam Ecclesiam spectat. Quæ jus suum proderet, si uni duntaxat

ordini ejus exercitium permitteret, atque abusus certo inde secuturi occasionem ipsa præberet. Unde ejusmodi consessui non soli adjungendi, qui ex ordine imperantium, eique addictorum consiliariorum sint, sed & qui à tertio ordine deligentur, ejusque vices ac jus repræsentent. Coram ejusmodi consessu si ex utraque parte selecti, iique doctissimi Theologi perspicua ac probe digesta methodo unam controversiam post alteram scriptis alternatim se excipientibus, disceptent, prout in judiciis solet, consessu semper processum disputandi ita moderante, ut ne extra oleas abeatur, sed presse statui controversiæ inhæreatur; id quidem certissimè eveniet, ut quæ invicem per calumniam hactenus impacta sunt, removeantur, & velut proscribantur. Inde liquido adparebit, circa quænam partes consentiant, circa quæ dissensus supersit. Denique si ad hanc normam controversia ventilata sit, vix fieri poterit, quin illis, queis rerum Theologicarum notitia est, & qui præjudicio, & per affectus in transversum non rapiuntur, adpariturum sit, penes utram partem victo-

ria ſtet. Et ut maximè ita convicti & ad ſilentium redacti per animi pervicaciam oculos ad veritatis lumen claudant; non ideo tamen ea diſputatio effectu carebit, & haud eo minus iſti de errore convicti habebuntur. Sic *Matth.* XXII, 34. Salvator *Sadducais os obturaſſe* dicitur, etſi non addatur, illos ingeſtam veritatem agnoviſſe.

Controverſiæ circa emolumenta videntur irreconciliabiles.

§. 10. Aſt ubi controverſis dogmatibus innexa ſunt emolumenta, ſeu ubi ad conſervandam potentiam, ac opes quærendas dogmata inventa, aut attemperata ſunt, non eſt quod credamus, diſputando ac ratiocinando illas poſſe everti, ſaltem apud eos; quorum peculiariter intereſt; niſi ſingularis aliqua rerum converſio intervenerit, quæ violento impetu, & quodam quaſi torrente illa proſternat. Quam pertinaciter enim pro adquirendo, aut retinendo imperio certetur, pro quo & mortem paciſci præclarum habetur, nemini ignotum eſt. Ac revera venter auribus caret, cui placando argutiſſima ratiocinia, & amœniſſimi eloquentiæ floſculi fruſtra inſumuntur. Sic dives iſte adoleſcens, quem Salvator

vator omnia vendere, pauperibusque dare, ac ipſum ſequi jubebat, triſtis abibat, paupertatem paciſci abhorrens, ut Chriſti diſcipulus eſſet. Undè & in univerſum hic pronunciabat; *faciliùs eſſe camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum DEI ingredi.* Matth. XIX. 21. 22. 24. Cum autem dogmata, quæ inter Proteſtantes ac Pontificios diſceptantur, quam maximè ſpectent ad ſtabiliendam autoritatem, potentiam, & proventum Regni ſacrorum, ſeu Monarchiæ Pontificiæ, manifeſtum quidem eſt, id genus diſceptationis, quod ſupra innui, heic incaſſum, ac tantùm non ridiculè tentari. Equidem ut falſitas dogmatum Pontificiorum ſolidè demonſtretur, eum uſum habet, ut, qui ſemel Proteſtantium ſacra amplexi ſunt, in iis perſiſtant, nec ad iſtorum ollas iterum revertant. Aliquando etiam unus & alter per iſta movetur, ut ejuratis Romanis ritibus ad Proteſtantes ſe conferat. Aſt ut ad ſummam rerum quid tali via proficiatur, id planè ſperandum non eſt. Perinde ac ſi quis in aliquo regno Regi, ac potentibus Miniſtris eloquentia, & Philoſophicis rationibus per-

ſuadere conetur, ut exuto imperio, opibusque, ac veteri ſplendore ad privatam conditionem, ac Democraticam æqualitatem redigi, ac inter plebejos locum deinceps ſortiri æquo animo velint. Sicuti apud *Tacitum* Tiberius irriſui erat, quando de *reddendâ Republica* movebat. Contra hac diſceptatione ſuſcepta Proteſtantibus nihil aliud ſupereſſet, quàm ut exuta, quam ſibi quæſiverunt, libertate jugum ſedis Romanæ iterum ſubeant. Scilicet inter eum, qui imperium in alios prætendit, & eos, qui huic ſeſe ſubduxerunt, adeoque ab iſto pro rebellibus habentur, nulla reconciliationis via eſt, quam ut vel iſte imperio ſuo in hoſce renunciet, vel hi vetus jugum iterum ſubeant. Ad quod quidem nullæ rationes, quæ in univerſum valeant, inveniri poſſunt, ſeu ut omnibus placeat & imperium iſtud ſacerdotale, & dogmata ei ſtabiliendo, ac locupletando inſervientia iterùm amplecti. Etſi ut ſingulorum aliqui alliciantur, rationes ab utili deſumptæ non deſint; ſcilicet ſi cui ſpes ſit in partem emolumentorum ejus Regni ſacrorum perveniendi, ſeu ut Eccleſiaſticis dignitatibus,

& opimis beneficiis potiatur, aut apud Pontificios Principes opes ac munera nanciſcatur, quæ apud Proteſtantes invenire non poterat. Quæ tamen rationes tantùm in poſtgenitos, aut ab imperio ditionum excluſos Principes, ac privatos homines cadere poſſunt. Nam Principum, qui revera imperio potiuntur, tanti intereſt, libertatem ex ſeceſſione à Regno ſacrorum pactam retinere, ut qui mente ſibi conſtant, nunquam eo ſtultitiæ deſcenſuri, ac gratis tanti momenti prærogativam projecturi ſint; niſi forte majoris pretii ditionem, quam in præſens poſſident, ea ſacrorum mutatione obtenturos ſe ſperent. Sicut Henricus IV. ut Galliæ Regnum obtinere, & Sigiſmundus Suecіæ Princeps, ut Poloniæ Regnum ſimul cum Suecico poſſidere poſſet, Romanos ritus aſſumpſit; etſi hic eam ob cauſam aviti regni jacturam fecit. Unde & humana ratio nullam aliam viam diſpicere poteſt deſtruendo iſti Sacerdotum dominatui, ac abolendis, queis idem ſuperſtruitur, dogmatibus, quàm ut Reges, ac alii ſummo imperio gaudentes, quibus ſacer iſte ſtatus ipſorum ſtatibus ſummo cum præjudicio

immixtus eſt, cjuſdem jugum excutiant, ac ſibi detracta jura vindicent, ſimul aucupia illa pecuniarum, per quæ eorundem ſtatus tantum non ad tributariam conditionem rediguntur, abrogent. Quo facto machina iſta, meris ſanæ rationi, ac Politicæ repugnantibus fulcris innixa, corruet, ac bellua ſubtractis nutrimentis ultrò extabeſcet. Ubi enim Principes, liberæque Respublicæ ſolida notitia genuinæ doctrinæ Chriſtianæ imbuti fuerint, nihil ipſis facilius fuerit, quam Regem Sacrorum ſpernere, ejuſque dominatui ſe ſubducere. Id quod ſuperiore ſeculo illuſtribus ſpeciminibus patuit. Videatur *Apocal.* XVII. 16. 17. quo loco non poſſum, quin adſcribam, quæ quondam *Iſmaël Bullialdus* cum fratre meo *Eſaia à Pufendorf* anno 1669. Lutetiæ diſſerebat, quando à Pontifice unus & alter Ordo ſupprimebatur, ut Veneti horum patrimonio ad Turcicum bellum uterentur. *Venetos MCC M. uncialium redegiſſe è bonis trium Ordinum Canonicorum Regularium per Pontificem ſuppreſſorum, quorum maxima pars in manus ſecularium pervenerit contra voluntatem Papæ. Venetos enim judi-*

*casse, ad firmitatem status facere, si bona ista incidant in manus secularium, quod Ecclesiastici non eadem onera pro conservatione Reipublicæ ferant. Consilium Mediolanense melius adhuc egisse, quam Venetos; & quia Duces quondam Mediolani eos Ordines dotarint, credidisse, fundatione per Papam sublata, bona ista jure ad Ducis domania redire debuisse. Imprudenter igitur à Papa factum, commissa re pessimi exempli, & quæ facile inducere possit Reges, ut idem tentent, Ecclesiamque bonis omnibus spolient; quibus sublatis ipsum Christianissimum magno esse in periculo. Ut enim nunc res sunt, temporale Pontificis non potest auferri, nisi simul spirituale tollatur, postquam Episcopis placuit, terrestre regimen adjungere jurisdictioni spirituali, quod an bonum factum sit, se nolle disputare. Credere tamen omnem autoritatem Pontificis dependere hodie ab ipsius temporali potestate; qua simul atque exutus fuerit, omnibus Regibus eum ludibrio fore, & Reges ipsos in suis ditionibus Papæ munia subituros.* Hactenus ille. Ac si verbo rem exprimere velimus, Cleri Pontificii *Deus venter* est. *Philip.* III. 19. Ventrem autem auribus carere, proverbio dicitur; eoque

ratiociniis adversus istos uti supervacuum est.

De Religione solida, ac superficiaria.

§. 11. Est præterea & illud circa diversitatem Religionum in universum observandum; complures earum satis habere actibus ac ritibus quibusdam exterioribus defungi, qui etiam absque interiore emendatione, & Sanctimonia animæ peragi possunt; quam tamen Deus præcipuè in genuino sui cultu requirit. Idque inde provenit, quod ii, queis Deus veram Religionem revelavit, inrepente paulatim tepore ac segnitie libidinibus frænum injicere, animumque iisdem expurgare durum nimis judicarunt; eoque demum devoluti sunt, ut exterioribus ritibus adquiescerent, ac ejusmodi religionem comminiscerentur, per quam cupidinibus suis indulgere possent, ac simul tamen de pace Numinis opinionem conciperent. Illi autem, qui sibimetipsis Religionem invenerunt, omnes in eò consensere, ut eandem ferè ad exteriores quosdam actus redigerent, qui etiam ab impurissimis hominibus exactè observari possent. Sicuti & fieri non potest, ut citra divinam revelationem huma-

num ingenium Religionem possit excogitare, quæ ad purificandum animum pertingat. Unde in universum Religionem possis dividere in *solidam* & *superficiariam*, seu Histrionicam. Sanè si omnes commentitias Religiones, veteres juxta ac recentes excutias, omnes ad superficiariarum classem referendas agnoscas, quæ fere certis ritibus absolvuntur; ac si maximè quid de moribus adspergant, id tamen expurgandis humani pectoris sordibus haut quidquam sufficit. Sacrum autem Codicem evolventi perpetuus labor divini Spiritus adparebit circa eam opinionem animis hominum eradicandam, quasi ad cultum divinum qualescunque externi actus sufficiant, ni interna animi purificatio adfuerit. Et quanquam sapientiæ divinæ placuerat, populum Israëliticum operosarum jugo ceremoniarum adstringere, ac præcipuè per sacrificia futuram mundi expiationem à Messia præstandam ipsorum animis subinde ingerere: tamen cum isti in solis istis ritibus defixi hærerent, ac demùm Messiæ fere obliti per victimas revera animi sui labem expiare, ac earum animas in sui locum substitui

ſibi perſuaderent, adeoque totum cultum Leviticum in ſuperficiariæ Religionis inſtrumentum verterent, Deus per Prophetas eum errorem ſubinde caſtigabat; uti & quod legi morali qualicunque actus externi obſervantia ſatisfieri putarent. Vid. 1. *Samuel.* XV. 22. *Pſalm.* L. 8. *ſeqq.* *Eſai.* I. 11. *ſeqq.* XXIX. 13. *Jer.* VI. 20. *Amos* V. 21. *ſeqq.* *Mich.* VI. 6. 7. 8. & paſſim. Sic & Salvatori noſtro maximum fuit certamen cum ſui temporis Judæis, qui divinitus traditam Religionem ferè in ſuperficiariam verterant. Vid. *Matth.* V. 20. *ſeqq.* VI. 1 - 18. XV. 1 - 20. XXIII. 13. 28. *Marc.* VII. 1 - 23. *Luc.* XI. 38 - 47. XIV. 33. XVII. 20. 21. Ex hac porrò ſuperficiaria Religione Pontificii longè plurima mutuo ſumpſere, qui ſimplicitatem genuinæ Religionis Chriſtianæ infinitis ceremoniis adornarunt, exteriora ſenſuum diſtinentibus, nullâ cordis mundirie. Exempli cauſa tetigiſſe ſuffecerit precum plerùmque non intellectarum, ac in ſummis labiis natarum battologias, expreſsè à Salvatore improbatas, *Matth.* VI. 7. quas ad Roſarii globulos admetiri moris eſt. Quo fine recens ſcriptor Gal-

licus ab omnibus fœminis Hiſpanicis lautæ conditionis Roſaria geſtari tradit, tantùm non in terram propendentia, quæ ſine fine recitent, dum per plateas incedunt, inter chartarum ludum, inter confabulationes cum aliis; quin dum amoribus operantur, dum mentiuntur, alioſque traducunt. Inter iſta ſemper ad Roſarii ductum aliquid demurmurant, etiam ubi in magno hominum cœtu verſantur. In eundem cenſum referendæ omnes interceſſiones, & quorumcunque vivorum aut mortuorum merita, (præter Salvatoris meritum) quæ aliis ad expiationem peccatorum adplicari poſſe traduntur. Item quod per confeſſiones peccatorum ſacerdotibus factas, ac pœnitentias ab iiſdem dictatas iſtorum remiſſio obtineri poſſe creditur. Nam pleriſque leve admodum videtur pudore confeſſionis, ac onere ſatisfactionis à ſacerdote impoſitæ licentiam peccandi redimere. Quo & tota materia indulgentiarum ſpectat, ubi leviſſima quandoque opera ad multa ſecula peccatorum remiſſio obtineri poteſt. Inprimis autem palmarium, inſtrumentum ſuperficiariæ Religionis habendæ ſunt infinitæ illæ

Missæ, quarum horrendus est abusus, qui usque eo porrigitur, ut si quis tota vita per omnia flagitia volutatus fuerit, tamen vel post mortem iis expurgari, ac æternis gaudiis potiri queat, virtute missarum pro ipsius anima recitatarum. Quæ quidem revera Sacerdotum aurea messis est. Circa quas non possum, quin adducam, quod recens scriptor Gallicus in Itinerario Hispaniæ refert. Hominem illustri loco natum, sed cujus census pessimè habuerit, haut ideo omisisse ingruente morte disponere, ut XV. M. Missarum pro sua anima dicerentur. Ac extremam hancce voluntatem ita exacte fuisse exsecutioni datam, ut pecuniæ summa, quæ in mercedem missificum Sacerdotum requirebatur, reliquis ejus creditoribus quantumvis liquidas actiones habentibus præferretur, quoad omnes Missæ Testamento ordinatæ fuissent absolutæ. Undè & de talibus apud Hispanos in proverbii vicem dicitur: *hunc vel illum animam suam hæredem instituisse*, qui nempe bona sua Ecclesiæ reliquit, ut pro ea preces fundantur. Memorabilis quoque est dispositio Philippi IV. Hispaniarum Regis,

qua constituit, ut C. M. Missarum ex sua intentione dicerentur, & quidem ut si ipse non amplius iis opus habeat, Patri ac Matri suæ bono cederent; sed si hi jam in cœlo essent, eorum animabus adplicarentur, qui in bellis Hispanicis mortem oppetierint. Non possum quin addam cauponationem à certo homine Viennæ exercitam, quo tempore Hungariæ proceres ob perduellionis crimen, in Leopoldum Cæsarem admissum, capite plectebantur. Horum enim bonis publicatis clementiæ specimen habebatur, multa Missarum millia pro ipsorum animabus recitanda curare. Cum autem Viennæ singulæ Missæ dimidio fere unciali nummo constare soleant, iste quem notavi vir, cui Triangulo nomen fuit, cum exsecutoribus ejus dispositionis transegit, ut sibi eas Missas curandas committerent, quas in Italia dici velit, ubi una pro octava uncialis parte venalis sit. Nam parem earum efficaciam esse, ubicunque terrarum recitentur. Ita penes exsecutores istos nonnihil emolumenti mansit; Sed maximum lucrum ad mancipem istum rediit; qui ex eo commercio ad C. M. uncialium redegisse, ac demùm

Baronis titulo mactus dicitur, ut puto, ob insignia hæc in Rempublicam merita, & quia non modicam lucem attulit loco *Apocalypseos* XVIII, 15. quinam intelligantur per eos, qui animas hominum in commercio habeant. Equidem novimus ab iisdem tradi; oportere, ut cui Missæ prodesse debeant, in gratia & pœnitentia decesserit. Sed quod dogma iterùm tam variis exceptionibus ac limitationibus restringitur, ut ad pœnitentiam illam vix aliud quid requiratur, quam una vel altera ceremonia, animæ nihil emendationis adferens. Sed ista omnia, ac longè plura facilè in oculos incurrent, si quis Pontificiæ Religionis contextum pressius consideraverit.

Inter Protestantes & Pontificios frustra conciliatio tentatur.

§. 12. Ex hisce in promptu est colligere, eos, qui circa concilianda Religionum dissidia satagerunt, non observato discrimine inter dogmata, & emolumenta Regni sacrorum, ac inter solida & superficiaria, rationem planè fugisse, nec operæ pretium facere potuisse. Eoque omnes illos operam lusisse, ac deincèps lusuros, qui inter Protestantes, & Pontificios compositionem agitarunt, ita ut utrin-

que aliquid remittendo isti ad horum communionem iterum accedere debeant. Nam Pontificii status compagem consideranti facilè patebit, hosce nihil remittere posse, saltem hactenus, ut in errore hucusque sese versatos agnoscant: cum infallibilitas Papæ & Ecclesiæ velut angularis lapis sit, cui iste status innititur, quo convulso tota machina ultrò ruinam tractura est. Ac si è dogmatibus Romanæ Ecclesiæ omnia illa amoveantur, quæ ad superficiariam religionem pertinent; & ad aucupandas pecunias inventa sunt, brevi maximæ clericorum parti ad esuriem redeundum fuerit. Sed nec Regno Pontificio expedit ea lege pacem cum Protestantibus inire, ut hi suas sibi Ecclesias seorsim habeant, à sede Romana haud dependentes, ac de cætero amicitiam duntaxat absque subjectione inter se colant. Nam hoc modo arcanum sui status ipsi proderent; solùm Romanum cœtum, qui Pontificem caput agnoscit, esse veram Ecclesiam; & concederent, alias quoque Ecclesias veras dari, quæ Romanæ Ecclesiæ non subordinantur. Cum itaque nulla via conciliationis inter hos invenienda supersit, nisi ut

Protestantes iterum sedis Romanæ imperio sese submittant, & omnia hactenus contra hanc asserta dogmata recantent, id quod neque per conscientiam, neque per rationes status possunt: censendum est, Ecclesiasticam concordiam inter Protestantes & Pontificios moraliter impossibilem, adeoque Romam revera esse irreconciliabilem. Ac si quando aliqui è Pontificiorum partibus super reconciliatione proponant, quin de restituendis bonis Ecclesiasticis nihil motum iri ad Romanos ritus redeuntibus cavere velint, meras offucias, & insidias istis conatibus subesse censendum est, ut semel utcunque in casses pellectos jugo iterùm subdant. Sed & illud manifestum est, non benè consulere Germaniæ Principibus eos Theologos, qui controversias cum Pontificiis elevant, velut quas componere non adeo arduum sit. Cum enim aliqui eorum optent numerosæ suæ proli ad dignitates & beneficia Ecclesiastica viam pandi, quæ ipsis per Protestantium sacra præclusa est, facilè eos libido subire potest ad Romanos ritus revertendi, ubi non multùm interesse persuasi fuerint. Ac si

maximè capita familiarum ſtultum ducant, nobilisſimam imperii ſui partem amittere, ut Sacerdotum mancipia fiant: tamen ſi & minores natu ſacra mutent; ubi hi deinceps ad ſucceſſionem vocentur, majorum natu fratrum ſtirpe extinctâ, idem periculum provinciis eorum imminet.

§. 13. Ad iſthæc illuſtranda haut dividiæ erit recentem quandam formulam excutere manuſcriptam de *Methodo reducendæ unionis Eccleſiaſticæ, inter Romanenſes & Proteſtantes ex ſpeciali mandato Sereniſſimi Principis Domini N. N. à duobus ſuæ Celſitudinis Theologis conſcripta.* Quam tamen non animo ipſis obtrectandi, aut intentionem eorum, quam non malam fuiſſe arbitramur, arguendi, ſed ſolo veritatis ſtudio heic repræſentabimus, hinc inde adjectis noſtris annotatis.

Examen formulæ cujudamſſuper compoſitione inter Proteſtantes & Pontificios.

§. I. *Unionem & pacem Eccleſiaſticam inter Romanenſes & Proteſtantes reducendam, eſſe ex eorum numero, quæ fieri poſſunt, & certo modo debent, adeoque præceptam eſſe, eam ultrò agnoſcunt & fatentur Proteſtantes. Quanquam non ſimpliciter præceptam eam eſſe ſtatuunt, ut ad pacem illam*

*sive ineundam, sive servandam absolutè obligemur, sed cum conditione, si fieri possit, & quantum in nobis fuerit.* *Patet id ex verbis Apostoli; si fieri potest, quantùm in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.* Rom. *XIII.* 18. *Si fieri id non potuerit, ni reclamante conscientiâ tenebras dicamus lucem, tunc locum habebit illud Apostoli: quæ communio lucis cum tenebris?* 2. Corinth. *VI* 14. *Tunc melius est dissidium pietatis causa ortum vitiosa concordia: Verba sunt Gregorii Nazianzeni Orat.* 1. *de Pace.* Nos contra arbitramur, pacem istam Ecclesiasticam Protestantium cum Romanensibus haud quidquam debitam, sed potiùs vetitam esse; cum saltem maxima Protestantium pars imperium Papale belluam illam Apocalypticam esse profiteatur, cujus servitium ipsi magno Dei beneficio exuerunt, & quo, ut illi etiam populi, qui adhuc eo premuntur, liberare se possint, optant. Moraliter autem eandem impossibilem esse nemo non agnoscet, qui jamjam à nobis dicta, & ipsam Monarchiæ Pontificiæ indolem consideraverit. Dictum Apostoli de civili pace agit, quàm utique integrum est

cum

cum iſtis colere, & omnia officia civilis amicitiæ iis, qui adhuc Romanis ritibus addicti ſunt, exhibere: nec minùs civilem tolerantiam iisdem ritibus indulgere, ubi per pacta aut alias graves conſiderationes eos commodè eliminare non licet.

§. II. *Quemadmodum autem Proteſtantes in ipſa ſua Confeſſione Auguſtana Cæſari exhibita palam profesſi ſunt, ad pacem & unionem cum Eccleſiâ Romana colendam, quantùm cum Deo & bona conſcientia fieri posſit, ſe promptos & paratos eſſe: ita & in hodiernum ſe offerunt ad omnia præſtanda, quæ ſalva fide atque illæſa conſcientia fieri poſſunt:* Atqui hæc conditio eſt moraliter impoſſibilis. Requiritur enim, ut Romanenſes probent dogmata, in quibus Proteſtantes ab ipſis diſceſſerunt, ac ut iidem quoque hæcce dogmata profiteantur; tum ne Papa imperium ſuum in ipſorum Eccleſias exerceat, nec abuſus Eccleſiæ Romanæ iisdem obtrudat. Sine hac conditione nemo Proteſtantium unionem cum Romanenſibus amplectendam cenſebit, niſi idem Samaritaniſmum probandum putet. Papam autem unquam in eam conditionem conſenſurum, cogitare, ſtolidum fuerit.

§. III. *Etsi enim inter illos, qui unum Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum adorant, & unum Redemptorem, Salvatorem & Mediatorem Dei & hominum, unigenitum æterni Patris Filium, eundemque hominem Jesum Christum agnoscunt, & colunt, atque adeò conveniunt de Mysterio Trium Personarum unius divinæ essentiæ, & de Filio Dei incarnato, &, ut peccata nostra expiaret, passo, mortuo, ex mortuis resuscitato, ad cœlos evecto, de creatione mundi, & resurrectione mortuorum, de supremo judicio, & de baptismo citra ullam negligentiam infantibus impertiendo, & de nova obedientia legi divinæ à renatis necessario præstanda. Etsi inquam inter illos, sub quocunque etiam visibili cœtu vivant, si non actualis, virtualis tamen est communio, posita in serio desiderio, voto, affectu & studio unam eandemque communionem restaurandi & frequentandi; quia interim actu simul ab una communione per grandia obstacula impediuntur, omni vi laborandum est, ut graviora illa obstacula, quæ schismati hactenus ortum vel fomentum maximè præbuerunt, removeantur.* Articuli heic enumerati etsi non modicam partem

Religionis Christianæ absolvant, additis tamen aliis erroneis ita detorqueri possunt, ut salutaris eorundem fructus intercipiatur. Sicuti optimus in se cibus admixto absurdo condimento, aut sordibus ita corrumpi potest, ut non amplius gratus aut salubris sit. Tum etiam uti in Republica, quæ ex legitima in tyrannidem degeneravit, manent plurima veterum institutorum vestigia & vocabula, utut genius imperii planè depravatus sit: ita Ecclesia Romana, quæ tacito lapsu à primæva puritate in pestilentissimam superstitionis colluviem degeneravit, utique multos debuit retinere Articulos Religionis Christianæ. Alias enim non potuisset in ea nasci dominatus Ecclesiasticus, id est, qui colore & obtentu Christianismi vim suam exsereret. Propter istos tamen Articulos haut eo minor aversatio esse debet Pontificii dominatus; quem subire uti nemo tenetur; ita nec in voto & affectu habere, ut cum ista Ecclesia denuò uniatur; utque adeo Ecclesiæ Protestantes, quæ ab ista se disjunxerunt, eidem iterum associentur, ac uti antea ad unum cum Ecclesia Romana corpus constituendum

ſub Imperio Pontificis Romani concurrant. Unde unio iſta virtualis inane commentum eſt; cum id in votis eſſe debeat, ut qui adhuc Pontificio dominatu opprimuntur, ad noſtras partes tranſeant, amotis grandibus obſtaculis, quæ non ſolo diſſenſu circa quædam fidei capita abſolvuntur, ſed quorum præcipuum habendus eſt dominatus iſte in Eccleſiam introductus, tot ſuperſtitionibus & falſis dogmatibus ſuffultus, Chriſtianis intolerabilis atque deteſtandus. Sanè ubi diſſenſus eſt ſuper imperio & libertate, non poſſunt utrinque alia vota eſſe, quam ut una pars ſub alterius imperium redigatur; cum imminutionem ac diviſionem imperii nemo æquo animo ferre poſſit. Nam fundamentum Regni Pontificii eſt Papæ & Eccleſiæ Romanæ infallibilitas, qua convulſa tota moles ultrò corruit. Eam autem ſi agnoſcunt Proteſtantes, uno ictu cauſam ſuam proſtraverunt, nec amplius recuſare poſſunt, quo minus ad priſtinum ſervitium revertantur.

§. IV. *Cum autem non parum referat, ſi utraque pars ſimpliciter & ingenuè quod ſentit profiteatur, nec altera alteri ambiguis aut obſcuris locutio-*

*ibus imponat, Protestantes sensa animi sui circa hoc negotium Irenicum extra fucum sincerè proponant, statuentes, non expedire solùm, sed & necessarium esse, ut parti dissidenti veritates fundamentales omnes perspicuè proponantur, & ab ea petatur, ut errores omnes illi repugnantes explicitè & expreßè deponat, & quam corde tenet veritatem cœlestem ore profiteatur ad salutem, & quidem vel verbis, vel actionibus religiosis. Illa formalis, hæc materialis confeßio fidei dicitur.* Circa ingenuam, perspicuam, ac simplicem professionem suorum dogmatum Protestantes quidem nunquam in se quid desiderari passi sunt, quæ & claris Sacræ Scripturæ testimoniis solidè adstruxerunt. Sed quàm parùm profecerint, & quàm parùm Pontificiis cordi sit ullum suum errorem ac abusum agnoscere & corrigere, è Tridentino Concilio satis perspicitur, & quod isti tanto temporis spatio non modo nihil, à Protestantibus taxatum, quod quidem alicujus momenti sit, emendarunt, sed potiùs demonstratos errores maximâ cum pertinaciâ adstruxerunt. Et qui mollius loqui voluerunt, non nisi fucum simplicibus facere instituerunt. E quibus quid

deinceps ſperandum ſit, haut in obſcuro eſt.

§. V. *Quod nunc attinet obſtacula atque impedimenta pacis atque unionis Eccleſiaſticæ inter Proteſtantes & Romanenſes, certum atque extra controverſiam poſitum eſt, horum alia eſſe majoris momenti, alia minoris.*

§. VI. *Prioris generis impedimenta ſunt, quæ licet Articulum fundamentalem non directè evertant, ea tamen ponunt, quæ cum Articulo malè cohærent: item quæ proximè & directè ad praxin faciunt, & proindè concordiam turbant, & actualem unionem & communionem tollunt. Qualia ſunt, v. g. quæ de communione ſub unâ, de miſſis communicantibus deſtitutis, juſtificatione hominis peccatoris coram Deo, cœlibatu Clericorum, Paſtorum & Doctorum Eccleſiæ Proteſtantium ordinatione, de juribus Epiſcopalibus in Principes & Status Proteſtantes in Transactione Paſſavienſi translatis, aliisque quæſtionibus tradunt, de quibus infra* §. XVIII. n. 4. Heic non definitur numerus Articulorum fundamentalium, nec certa aliqua nota conſtituitur, per quam iſti à non fundamentalibus liquido diſcerni queant;

l quod in hâc materia palmarium uto, & quo non rite designato omnis pera luditur. Deinde superfunctoriè dmodum inspexisse oportet Mystea Regni Pontificii, qui credit hisce rticulis præcipuam dissidii mateiam absolvi; aut hoc dissidium circa ogmatum discrepantiam maximè erti. Sanè minima pars controverorum dogmatum, & rationum Reni sacrorum heic tangitur, eoque otum opus mancum, & imperfectum abendum est.

§. VII. *Minoris momenti controverœ sunt, de quibus sive hoc, sive oppositum afirmetur, neutrum tamen ad praxin à nobis xercendam per se quidquam confert, aut ogma aliquod necessarium vel stabilit, vel ertit.* Inter dogmata autem hæc minois momenti non sunt referenda, quæ d aucupia pecuniarum, aut retinenos sub Sacerdotum jugo laicos inveni sunt. Hæc enim omnia, cum inimas imperii sacri rationes tangant, nagni momenti meritò habenda int.

§. VIII. *Circa majoris momenti npedimenta tollenda occupari maxiium & potissimum erit operæ pretium.*

*His enim sublatis actualis unio & communio tandem redintegrabitur.* Heic repetenda, quæ ad §. VI. annotavimus.

§. IX. *Inter majoris momenti obstacula pacis & unionis Ecclesiasticæ posuimus primo loco controversias de SS. Eucharistiæ sacramento. Quemadmodum enim participare de uno illo pane, seu participem esse mensæ Domini, & junctim bibere poculum Domini symbolum est perfectæ Christianæ unionis; ita controversiæ de SS. Eucharistia participationem mensæ Domini, quam inter se communem meritò Christiani debent habere, & consequenter unionem actualem maximè turbant, & divellunt.* Non mediocrem inscitiam controversiarum inter Protestantes & Romanenses sapit, quod controversia de SS. Eucharistia primo loco ponitur; cum primaria disputatio sit de potestate Vicariatus, & infallibilitate Papæ, ac de autoritate Ecclesiæ. Ipse *Bellarminus* præfatione in libros *de summo Pontifice: Etenim de qua re agitur, cum de primatu Pontificis agitur. Brevissimè dicam, de summâ rei Christianæ. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutiùs consistere, an verò*

*ſſolvi, & concidere.* Participatio de
ıenſa Domini, non aliter ſymbolum
erfectæ unionis Chriſtianæ haberi
oteſt, quàm ſi & circa reliquos Arti-
ulos fundamentales conſpiretur. Un-
è ſi maximè Pontificii ejurata trans-
ıbſtantiatione, ac reſtituta commu-
ione ſub utraque nobiſcum examuſ-
m conſentiant; ni tamen reliquos
rrores deponant, parùm ad concor-
iam profectum fuiſſe cenſendum eſt.
ıæterùm cum ſuperiore ſeculo Pon-
ficii magnum operæ pretium facere
otuiſſe viderentur reſtitutâ commu-
ione ſub utrâque, quam & quin Sal-
atoris inſtitutioni, & praxi multo-
um ſeculorum conformis ſit, abne-
ʒare nullus idoneus color eſt: per fu-
oris ſpeciem videri poterant tantam
ertinaciam circa tuendam commu-
ionem ſub una induiſſe, ni ea conſi-
eratio obſtitiſſet, quod ubi ſemel ad-
ıiſiſſent, in uno capite à Pontifice &
cclesiâ Romanâ fuiſſe erratum, id
n pluribus quoque accidere potuiſſe
ıgnoſcendum fuerit. Nam dilutus ad-
nodum eſt Boſſueti Meldenſis Epiſco-
ı color, ut pleraque alia ejuſdem; Ec-
leſiam certas ob rationes uſum calicis
otuiſſe Laicis interdicere, quem, &,

ſi videatur, reſtituere poſſit. Nam debebat nobis graves illas rationes expoſuiſſe, quæ ab inſtitutione Chriſti; & praxi Eccleſiæ per tot ſecula recepta diſcedere ſubegerint; & quæ cauſæ, præter eam, quam modo adduxi, obſtent, quo minùs ad priſtinum morem redeatur.

§. X. *Itaque de Sacramento Eucharistiæ docent & credunt Protestantes, dum editur panis benedictus, & bibitur poculum benedictum, edi quoque Domini corpus, bibique ſanguinem Domini juxta ipſius diſertam & liquidam aſſertionem.* 2. *Sicuti S. Euchariſtiæ ſacramentum à Chriſto Servatore noſtro ſub utrâque ſpecie eſt inſtitutum; ita idem vi hujus divinæ inſtitutionis precepto æquipollentis ſub utraque ſpecie, ſeu utroque ſymbolo conſecrato omnibus ad ſacrum hoc epulum ritè accedentibus diſtribuendum, & accipiendum eſſe.* 3. *Præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti cum ſumptione eſſe connexam.* Neſcio cui bono hæc confeſſio heic addatur, cum Romanenſibus optimè de noſtra ſententia conſtet.

§. XI. *Iidem docent, hominem adultum, qui gratiæ divinæ, remiſſionis*

*peccatorum , & æternæ salutis particeps fieri velit , peccata sua agnoscere , seriò de illis dolere, nullis suis meritis , sed soli morti & merito Christi cum fiducia & spe consequendæ remissionis peccatorum, æternaque salutis inniti , & deinceps peccato operam non dare debeat, sed sanctimoniæ studere, sine qua nemo videbit Dominum.* Fortasse Romanenses hunc Articulum prout jacet non negabunt, præsertim Bossuetus aliquis offuciarum mango. Nec tamen deerunt interpretamenta & assumenta, quibus Articulum de justificatione ad rationes ærarii , quo status Pontificius alitur, detorquere possint.

§. XII. *Clero Protestantium conjugium etiam iteratum usque ad Concilii generalis decisionem permittendum , illudque cæteris paribus pro legitimo habendum esse.* Mirum verò, quo respectu dogma de conjugio Clericorum inter præcipuos fidei Articulos veniat, proximo post justificationem loco; cum istud scopum Christianæ fidei nullo modo tangat. Nam si cœlibatus iste Reipublicæ expediret, & Clerici capaces essent castæ vitæ extra matrimonium ducendæ , nemo

crediturus fit eo cœlibatu fanctimoniæ Religionis Chriftianæ quid deceffurum. Nam revera id dogma de cœlibatu Clericorum inter arcana Regni facrorum eft. Dubito autem an Clerus Proteftantium hanc Thefin fit probaturus, quæ tam timidè & ambiguè de ipfius conjugiis pronunciat, velut tantùm fint *permittenda*, nec fimpliciter adprobanda ufque *ad generale Concilium*, ubi ea quæftio plenè fit decidenda, quæ decifio tamen fortè in negativam æque, ac affirmativam partem cadere poffit. *Interim illa pro legitimis* habenda. Caveant fibi ifti conciliatores ab uxoratis presbyteris.

§. XIII. *Similiter Paftorum & Doctorum Ecclefiæ Proteftantium à presbyteris per preces & manuum impofitionem factam ordinationem effe legitimam, & praxi Apoftolorum conformem; atque hoc modo ordinatos, & ad facrum officium inauguratos habere poteftatem tum ordinis, tum jurisdictionis.* Hoc dogma revera maximi eft momenti. Nam uti ordinationi ftatus velut externus Ecclefiarum Proteftantium innititur, & per quam pro legitimis corporibus haberi pof-

ſunt: ita iſthoc poſtulatum oblique totum ſtatum Pontificium evertit; quippè cui repugnat, dari legitimos Paſtores ab ipſo haut dependentes. Ac notum eſt, quo ardore, & quo etiam Conſilio Tridenti à Curiæ Romanæ addictis repugnatum ſit, ne definiretur; reſidentiam Epiſcoporum eſſe juris divini; Nam ſalvo ſuo ſtatu Papa non poteſt cum aliis clericis tractare velut à ſe independentibus, ſicuti Principes inter ſe tractare ſolent: ſed qui ei ſubjectus eſſe non vult, hoſtis eſt; aut ut Chriſtus dicit *Luc.* XI, 23. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Cum Pontifex, ni univerſalis Epiſcopus, & Chriſti Vicarius ſit, nihil niſi urbis Romæ Epiſcopus ſit. Sic ut in eum rectè accommodari poſſit illud Ducis Valentini: aut Cæſar, aut nihil; aut univerſalis Epiſcopus, aut nihil.

§. XIV. *Denique in Transactione Paſſavienſi, & ſubſecutâ Pace religioſâ totius Imperii conſenſu in Proteſtantes Principes ac ſtatus translatam eſſe poteſtatem & jurisdictionem Epiſcoporum notius eſt, quam ut probatione indigeat. Ut alias controverſias nunc non tangamus.* Hæc Theſis nihil

Theologicæ ſcientiæ ſapit, velut quæ nil aliud declarat, quam tolerantiam Politicam Religionis Proteſtantium in Germania per publicam conventionem eſſe ſtabilitam. Aſt ejuſmodi pacta, queis arma intervenerunt, ad pacem rerumpublicarum facere poſſunt, ad conciliationem controverſorum dogmatum facere non poſſunt, ubi definiendum eſt, utra contradictionis pars in Sacris Scripturis revelatæ veritati congruat, utra repugnet.

§. XV. *His autem ita expoſitis, & juxta cum iis quæ ſequuntur, à præcipuis Eccleſiæ Proteſtantium Doctoribus*, (adde, ac Principibus, Statibusque, & univerſis Eccleſiis; nam penes ſolos Doctores non eſt talia ſuſcipere,) *concordatis , & ſine ſtrepitu adprobatis*, (id quod nunquam futurum eſt, hoc quidem fine, niſi fortè omnes in delirium inciderint,) *explorandus eſſet Romanus Pontifex.* 1. *An velit Proteſtantes, qui ſub æquis conditionibus parati fuerint ſe ſubmittere legitimo Concilio, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, pro veris Eccleſiæ Chriſtianæ membris habere, non obſtante, quod perſuaſi ſint, communionem ſub utraque ſpecie ſeu ſymbolo panis & vini eſſe à Chriſto præ-*

*ceptam*, *atque adeo ab illis hoc modo semper accipiendam.* Scilicet à declaratione Papæ, si Diis placet, dependet, an quicquid Christianorum per duodecim amplius secula extitit, pro veris membris Ecclesiæ Christianæ sit habendum, qui id extra dubitationem posuerunt. *Missas ἀκοινωνήτους seu communicantibus destitutas Ecclesiis Protestantium non obtrudere, aut certè non prohibere velit; cum ita & non aliter celebretur Eucharistia, quam Dominus instituit, & in Evangeliis describitur, nempè non nisi adfuerint, quibus post benedictionem & panis & vinum prabeatur.* Nimirum à Papa demum precario obtinendum est, ut nobis fas sit cœna mystica non alio modo uti, quam prout à Christo primâ institutione celebrata fuit. Ast quorum cervices jugum Romanum non pruriunt, illi vel ringente Papâ hoc tanquam concessum divinitus jus cum obligatione conjunctum vindicant. Cæterùm Missas ἀκοινωνήτους repudiare est maximam partem redituum Regni Pontificii intercipere, cum illæ revera culinas sacerdotum probè instruant; nec immeritò olla sacerdotum (*la Marmite des Prêtres*) audiant.

3. *Expositam paulo ante doctrinam de justificatione hominis peccatoris coram Deo sæpiùs memoratis Ecclesiis integram & illibitam relinquere.* Atqui hoc salvis reditibus Regni Papalis fieri nequit. 4. *Protestantium Pastoribus conjugium prædicto modo permittere, idque legitimum declarare.* Hac Thesi maximum causæ Protestantium præjudicium adfertur, velut ab arbitrio Papæ dependeat presbyteris connubium *permittere*, aut illud *legitimum declarare*; cum eo ipso suprema Papæ jurisdictio agnoscatur. 5. *Ordinationem, seu ad sacrum mysterium inaugurationes à protestantibus hactenus factas modo utrinque acceptabili; qui neutri parti præjudicet, populosque circa Sacramenta, quantùm ejus fieri potuit, quietos reddat, confirmare, ac ratas habere.* Præter ea, quæ ad thesin antecedentem monuimus, id quoque addendum; Romanenses *in modum aliquem acceptabilem* salvo fundamento sui status consentire nullo modo posse. Denique 6. *Cum Protestantibus Principibus & Statibus Imperii super jure & autoritate, quam ipsi vigore Transactionis Passaviensis in Clerum & res sacras habent vel prætendunt, ita transigere velint, ut religiosis*

*hisce conatibus Irenicis se non opponant, sed ad promovendum potiùs tàm salutare negotium suaviter inducantur.* Obscura sunt hæc & ambigua. Sed nisi conjectura me fallit, id volunt dicere; à Papa Principes Protestantes, ut imperium ipsius iterùm subeant, alliciendos esse concessione bonorum Ecclesiasticorum, & jurisdictionis in Sacerdotes, aut insuper admissione ad beneficia in aliis Præsulatibus nondum occupatis. Enimverò ubi Protestantes hâc lege semel imperium sacrum Papæ agnoverint, huic in proclivi erit injectis conscientiæ scrupulis istos exercere, ut demùm bonis illis iterùm desistendum sit, si molestiarum & importunitatum finem videre velint.

§. XVI. *Quod si facere dignatus fuerit* (notate phrasin) *Papa Romanus, Protestantium Doctores vicissim eidem promittant, I. Sicut Romanus Episcopus inter omnes Christiani orbis Episcopos, adeoque in universali Ecclesiâ primum locum, seu primatum ordinis & dignitatis, in Occidentali verò seu Latinâ primatum & jura Patriarchalia non nisi jure Ecclesiastico positivo obtinet, (si vero plus potestatis ju-*

*re divino sibi competere pratendat, probet hoc ex sacrâ Scripturâ in Concilio, ad quod nos remittimus;) ita habituros se Pontificem, ac veneraturos pro supremo Patriarcha, seu primo totius Ecclesiæ Episcopo, eique debitum in spiritualibus præstituros obsequium.* Haut obscurè contradictionem involvit, Episcopo Romano dignitatem Patriarchalem jure humano positivo competere, & tamen eidem ex hoc deberi *venerationem & obsequium in spiritualibus.* Tùm ad liquidum priùs deducenda fuerint illa jura Patriarchalia Episcopo Romano competentia, antequam ita cœcò impetu ista agnoscamus. Etsi revera Pontifex tale quid ipsi offerentes in malam rem abire jubebit. Sed & Protestantes Ecclesiæ velut inauditam audaciam & præsumtionem detestabuntur, à duobus Theologis tanti momenti oblationes veteri Tyranno fieri, cujus jugum ipsi magno labore vix excutere potuerunt. Quin & maxima imprudentia est, ante Concilium, ad quod plena compositio rejicitur, talia concedere, quibus in antecessum Protestantium libertati

præjudicatur; antequàm conſtet, núm Pontifex ibi tolerabiles conditiones ſit admiſſurus. *Pridem eousque progreſſi ſunt majores noſtri, ut profiterentur, poſſe Romano Pontifici propter pacem, & communem tranquillitatem Chriſtianorum, qui jam ſub ipſo ſunt, & impoſterùm ſub ipſo erunt, cum quibus videlicet Chriſtianos alios poſitis odiis pacem colere decet, ſuperioritatem in Epiſcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam à nobis permitti, ſi Evangelium admiſerit, id eſt, ſi patiatur nos credere, quod Dominus noſter JEſus Chriſtus pro noſtra ſalute mortuus eſt., & quód ex propriis meritis vel alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi in merito pasſionis ipſius. Paucis, ſi nullum fidei dogma, nullum Sacramentum obtrudat, quod non legitur in Evangelio, vel non amplexa fuerit priſca Eccleſia ab Evangelio commendata.* Obtulerunt noſtri majores quædam ſat liberaliter Pontifici per meticuloſitatem, aut quia nondum profundiùs inſpecta imperii Papalis indole ſpes erat, in futuro Concilio tàm craſſos errores & abuſus emendatum iri; quæ ſpes nunc poſt Concilium Tridentinum planè decollavit. Sed &

conditio addita erat, quam præstare Pontifex non poterat; ni absumtis reditibus asseclas suos fame extabescere vellet. II. *Propter communionem sub unâ specie se Romanenses, quibus absque scrupulo in consuetudine illâ utendi saltem unâ specie perseverare visum fuerit, pro hæreticis aut fundamentaliter errantibus, aut peccatum æternâ damnatione dignum committentibus minimè habituros.* Vellem scire, quomodo mutilatio Eucharistiæ absque scrupulo conscientiæ existere possit, nisi apud illos, quibus mens tenebris Antichristicis ita obscurata fuerit, ut mandata hominum præcepto Christi præferenda ducant. III *Presbyteros suis Episcopis, Episcopos Archi-Episcopis, & sic porrò secundùm receptam Hierarchiam fore subjectos.* Hanc subordinationem tanquam institutum humanum concedi parùm est, quæ etiam in quibusdam Protestantium Ecclesiis in usu est.

§. XVII. *Fide utrinque sincerâ datâ & acceptâ ab invictissimo Cæsare nostro solicitandi erunt Principes Germaniæ utriusque Religionis*, (qui, quamdiu Pontificia dogmata profitentur, nefas ducunt talia tangere,) *ut quisque do-*

*ctorem unum vel alterum moderatione non minùs quam eruditione conspicuum mittat ad conventum, qui de unione & pace Ecclesiasticâ inter Romanenses & Protestantes restauranda conferant consilia. Ubi res ipsa loquitur ex his nullos mitti debere, nisi qui de modo agendi jam tùm secreto fuerint concordes, aut cum concordibus paria sentiant.* Ast mihi persuasum est, talem conventum nunquam extiturum, nec, si existat, ejusdem bonum effectum secuturum.

§. XVIII. *In hoc conventu seu colloquio examinandæ erunt illæ quæstiones, (supra nominatis tamen exceptis, quæ tanquam concordatæ supponuntur) de quibus inter partes vel planè non, vel non plenè convenit: apparebitque illas nec unius esse generis, nec momenti. Alias enim constare in diversâ terminorum acceptione, v. g. sitne Eucharistia sacrificium propriè vel impropriè dictum; aut num matrimonium dicendum sit Sacramentum, nec ne &c.* Oportet viros istos admodùm superfunctoriè inspexisse compagemRegni Pontificii, si credant, hasce controversias solâ diversâ terminorum acceptione absolvi; cùm circa priorem quæstionem magna pars redituum,

circa alteram autoritatis & jurisdictionis Pontificiæ vertatur. Nam priori quæstioni infinita cauponatio Missarum, eaque lucrosissima innititur. Et quia matrimonium Sacramentum dicitur, causæ matrimoniales, maximi utique momenti, ad forum Ecclesiasticum trahuntur. *Alias ita comparatas, ut amore pacis mitior ejusdem Ecclesiæ sententia sit amplectenda.* Ita temperandus est amor pacis, ne per eum salus, & libertas prodatur. Præstat apertum dissidium ac bellum habere, quàm subjugo, & in misera pace agere. *v. g. Pontificem Romanum non esse Antichristum.* Ut hoc possit concedi, necessum fuerit è sacro Codice expungi illud Salvatoris: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Tùm plurima dicta Pauli, ac tota Apocalypsis obelo configenda. *Opus bonum meritorium esse, quod per gratiam Spiritus Sancti ab homine justificato producitur, & cui, licet nullam prorsus habeat intrinsecam dignitatem & proportionem ad præmium vel gloriam æternam, misericorditer tamen promittitur gradus gloriæ, eumque verè ac propriè consequitur benè operans, &c.* Hac concessione non

consulitur Pontifici, cui vis meritoria bonorum operum urgetur ad locupletandum Regni sui ærarium. *Alias quæstiones ita esse comparatas, ut ad certam earum decisionem non liceat pertingere. Benè S. Augustinus l. 3. contra Julianum c. 3. Alia sunt, de quibus inter se aliquando doctissimi, optimique regulæ Catholicæ defensores salvâ fidei compage non consonant.* De his quæstionibus nulla difficultas erit, si ex iisdem nihil lucri pendeat. *Alios denique Articulos esse re ipsa controversos, v. g. de transsubstantiatione, & quæ huic innititur asservatione, circumgestatione, adoratione hostiæ; de invocatione sanctorum, cultu imaginum, enumeratione peccatorum in confessione privatâ; de purgatorio, precibus pro mortuis, cultu reliquiarum, imagine & signo crucis, de Sanctis, de numero librorum sacrorum, Scripturæ integritate, lectione, perspicuitate, traditionibus: de judice aut arbitro controversiarum fidei, Papali potestate, seu Romano Pontifice, de Ecclesiâ Romanâ, immaculatâ conceptione B. Virginis, diebus festis, variis ceremoniis, delectu ciborum; denique de indulgentiis, quæ cùm reformationi, tùm schismati,*

*quod in Occidente est, occasionem dederunt, &c.*

§. XIX. *Horum aliorumque Articulorum determinatio, inprimis illorum, qui absque alterius partis scandalo indecisi manere non possunt, aut sine quibus firma & constans unio Ecclesiastica obtineri nequit; vel certis utrinque electis arbitris, viris eruditione, judicio, pietate, & animi moderatione præstantibus, committantur.* Ut demus, ejusmodi viros inventum iri, qui præter dictas animi dispositiones id negotium absquè præjudicio & partium studio tractare possint; nunquam tamen Pontifex istorum quidquam in compromissum mittet. Præterquam quod controversiæ circa fidem non sunt ejus indolis, ut arbitrorum decisioni committi queant. *Sicut post exhibitam Augustanam Confessionem, & oppositam Romanensium Confessionem anno superioris seculi tricesimo hæc transactionis ratio Augustæ iniri cœpta est, ubi magna adparuit de non paucis, neque minimi momenti controversiis concordia, adeò ut de hac transactione seu collatione in Chronico Saxoniæ scripserit David Chytræus*

*L. 13. Ab initio horum certaminum in Germaniâ nunquam propiùs hucusque toiisse partes de Religione dissidentes; nec unquam antè extremum diem arctiùs coituras videri. Scilicet ex XXI. Articulis Augustanæ Confessionis exiguo tempore XV. conciliarunt, tres ad generale Concilium suspenderunt, in tribus saltem manifestum dissensum luiti sunt.* Ast si vel maxime tunc Augustæ qualiscunque conciliatio facta esset; simplex tamen fuerit credere, Papam vel hilum de suo imperio, aut receptis dogmatibus fuisse detracturum; aut securitati Protestantium ullo modo fuisse cautum, nisi planè sub vetus jugum redire vellent. Nam in universùm, si qui qualicunque imperio sese subduxerunt, illis nunquam veteri Domino fidem adhibere tutum est, nisi in separatum se statum erigant, & ita se confirment, ut etiam vim istius propulsare ac sustinere possint. *Aut denique prædictorum Articulorum controversorum determinatio ad Concilium remittatur.*

§. XX. *Debet autem Concilium illud 1. esse legitimè congregatum, & tam generale, quàm pro ratione temporis haberi potest. 2. Dictum illud*

*Concilium non debet provocare ad decreta Concilii Tridentini, aut aliorum, in quibus Protestantium dogmata sub Anathemate sint damnata. 3. Neque hoc Concilium congregari debet, nisi factis concordatis, & impletis omnibus, quæ in hoc scripto fieri, impleri, & concordari debere supponuntur. Antè omnia vero pro populis circa Sacramenta tranquillandis supra dicto modo ordinationes præteritæ confirmentur; imo pro omnimodâ cum Romanensibus Ecclesiis uniformitate, & unionis asseveratione singulis Protestantium Regnorum ac Provinciarum præcipuis urbibus Episcopos ex Protestantium præcipuis antistitibus, ac à Regibus & Principibus, Statibusve Protestantibus designatos Papa instituat, ac confirmet. Cùm autem secundùm Canones nemini nisi Episcopo in Conciliis suffragium ferre liceat; omnes jam memorati Episcopi Protestantes, utpote supra dicto modo cum Romanensibus uniti, ad hoc Concilium citari, & in eodem non ut pars judicanda, sed una cum Romanensibus ut judices sedere, & haberi debeant.* Talia suaviter somniari, sed nunquam in effectum deduci possunt. Ac si maximè effectui dentur, sine du-

bio Ecclesiis nostris exitium allatura sunt.

§. XXI. *Tale Concilium pro fundamento & normâ habeat S. Scripturam Canonicam tàm Veteris quàm Novi Testamenti. In iis enim, quæ apertè in Scriptura hac posita sunt, inveniuntur omnia illa, quæ continent fidem, moresque vivendi, ceu loquitur* Augustinus l. 2. de Doctrina Christiana c. 9. *Quin eam omnibus posteriorum Episcoporum literis ita præponit idem S. Pater, ut de illâ omnino dubitari & disceptari non possit, utrùm verum, vel utrùm etiam rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit.* l. 2. de Baptismo contra Donatistas, c. 3. Ita quidem debebat fieri. Sed quantopere eam normam æstiment Romanenses, in Concilio Tridentino, & aliis recentioribus Scriptis luculenta specimina ediderunt.

§. XXII. *Verba S. Scripturæ capi debent primò quemadmodum super ea mens humana naturaliter fertur: Scholastici Doctores dicerent, ut jacent & sonant. S. Hilarius dicit: ut virtus dictorum postulat. Optimus, inquit idem* l. 1. de Trinitate, *lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex di-*

*ctis potius, quam imponat, & retulerit magis quam intulerit. Deindè inter interpretandi media Protestantes sensum seu consensum veteris Ecclesiæ, & hodiernarum sedium Patriarchalium, quantùm quidem ille consensus propter tyrannidem Turcæ, sub quo nonnullæ degunt, haberi poterit, lubentissimè reponunt. In interpretatione enim Scripturæ tùm veterum, tùm recentum Ecclesiæ Doctorum laboribus grata mente uti & possumus & debemus.* Causidicis solenne est protestari, quod ad superfluam probationem obstringi non velint. Ast nostri conciliatores ultrò sese operosissima, ac infinitâ probatione onerant, consensu veteris Ecclesiæ, & quod de suo addunt, hodiernarum sedium Patriarchalium. Inter quas cum Sedes Romana primum locum obtineat, testimonio adversæ partis hoc ipso magnam autoritatem tribuunt, ac non obscurè Papæ in propria causâ judicium deferunt. Ac in universum nullius Ecclesiæ aut sedis sententiam circâ definiendum locorum Scripturæ sensum velut infallibilem admittimus; Sed eum jam ex ipsâ Scripturâ stabilitum suo consensu illustrari posse facilè concedimus.

§. XXIII. *Histe interpretandi mediis accedat legitima, erudita, sedata, & uni veritati devota disputatio. Proponatur Thesis controversa. Ubi rectè & eodem sensu ab utraque parte, ( ne alterutri fortè æquivocatio aut ambiguitas imponat, ) fuerit accepta, jubeantur probare è Scriptura Canonica, & Ecclesiæ priscæ unanimi & constanti consensu atque testimonio. Si hunc in modum procedatur, homines si non pertinaces & obdurati, tamen pii, prudentes, considerati, & bene morati,* ( adde, nec præjudicio occupati, & quorum dignitas, potentia, & proventus non agitur, ) *haut difficulter advertent, è cujus controvertentium parte stet veritas; quid evinci possit, quid non evinci. Benè observentur verba Augustini contra Epist. Fundament. cap. 1. Ex utraque parte omnis arrogantia deponatur. Nemo dicat se jam invenisse veritatem, si illa quæratur, quasi ab utrisque nesciatur. Ita enim diligenter & concorditer quæri poterit, si nulla temeraria præsumptione inventa & cognita esse credatur.* Miseros verò Protestantes, si tali demùm Concilio veritas sit quærenda.

§. XXIV. *Quæ porrò de modo in-*

*stituendæ ejusmodi disputationis, utrùm in Collegio vel Concilio disputandum, an scriptis inter se committi satiùs sit, & plura alia hic proponi possent; in aliam occasionem reservantur. Quæ cum justa & æqua sint, admittere non gravabuntur Protestantes, re ipsa declaraturi, se à schismatis crimine & esse & fore alienissimos.* Ast mihi valdè dubium est, num maxima Protestantium pars isthæc probatura sit; multò magis num Romanenses eadem admittere velint. *Deus O M. per spiritum suum sanctum nos in veritate conservet, & qui nondum agnoverunt, agnoscere eam faciat; ignorantibus autem & errantibus veniam propitius indulgeat propter unigenitum Filium suum Dominum nostrum JEsum Christum. Amen. Scriptum H. principali jusso die 30. Martii Anno 1683. salvis per omnia doctiorum arbitriis.* G. A. L. H. B. E. A. H. Quid de hoc scripto censendum sit, è superioribus satis patet; si modo ab autoribus seriò res acta sit. Ast si idem eo fine conceptum est, ut importunæ & insidiosæ solicitationes Pontificii cujusdam conciliatoris amoverentur; eo sensu idem pro subtili subsannatione haberi queat,

Lubet adſcribere ſententiam D. Joachimi Hildebrandi Superintendentis Cellenſis de hac diſceptatione, & circa eandem obſervandis. *Cum cogito, quanto ſanguine libertas Evangelicorum conſtiterit, in actualem communionem cum Eccleſia Pontificia, niſi illa erroribus Tridentinis, & immenſæ autoritati Papæ renuntiet, i. e. Pontificia eſſe deſinat, conſentire nunquam poſſum; adeoque meditata Epiſcopi pacificatio inſtar decipulæ eſſe videtur, qua Eccleſiam noſtram ſub prætextu temporariæ libertatis in doctrinâ ſub jugum Pontificium, adeoque Antichriſti reducere conatur, & inani ſpe Epiſcopatuum, Canonicatuum, beneficiorum Eccleſiaſticorum, & neſcio quorum honorum & opum, quorum tamen nihil in ejus eſt poteſtate, nos lactat, ſicut Satanas tentans Chriſtum* Matth. IV. *Vereor quoque, ut Principes colla ſua tyrannidi Pontificiæ majoribus ipſorum intolerabili denuò ſint ſubdituri; Epiſcopalia jura in manus Clericorum reſignaturi, & conceſſuri, ut Papa alienus Dominus ſtatum novum in ſtatu ipſorum formet, cum conſtet, quam tenaces jurium ſuperioritatis territorialis ſint Principes, licet unus vel alter Prin-*

*ceps ab initio aliquid commodi hinc sit percepturus.* Freyheit vom Pabst und Pabstthum halt ich vor das beste und sicherste. *Adplicari huc possunt verba* Joh. *XXI. Cum tui juris esses, cingebas teipsum; sed Papæ subjectum te alius cinget, & transferet quo noles. Meritò vestigia Papæ & majorum nos terrent. Impleat vos Deus odio Papæ, votum erat Lutheri. Sed communionem virtualem Pontificii non curant: actualis autem sine interitu alterius Ecclesiæ saltem moraliter est impossibilis.*

Quidam toto Systemate differunt.

§. 14. Inter eos autem, quos sola duntaxat discrepantia dogmata disjungunt, nullo interveniente emolumente, quidam toto Theologiæ Systemate, ac notoriè fundamentalibus Articulis dissentiunt. Inter cæteros est quidem circa nonnulla fidei capita dissensio, ut tamen eorundem utrinque Theologia ex iisdem principiis deduci & magnam partem in unum idemque Systema redigi possit. Ad priorem classem referimus Socinianos & qui hisce proximè accedunt; tùm plerasque Anabaptistarum familias, Tremulos seu Quackeros, & qui Fanaticorum nomen merentur; qui Articulos, quos Protestantes palma-

rios habent, negant aut detorquent, & velut evacuant, ut amoto nucleo inania tantùm putamina remaneant. Sic ut Theologiæ Systema ab istis formatum à nostro plane abeat, & vix circa alia inter eos conveniat, quam quæ ex ipso naturalis rationis lumine cognita sunt, aut ad regendos mores pertinent. Circa quos quamdiu Hypothesibus suis innituntur, nobiscum conciliandos satagere, vesaniæ proximùm, ac planè inutile duco. Ac in id potiùs incumbendum fuerit, ut solida confutatione ea errorum gangræna comprimatur, ne latiùs serpat: præsertim cum profanis hominibus admodùm blandiatur, si nihil ad credendum proponatur, nisi quod ratio capere possit, nec plùs ab hominibus exigatur, quàm alias socialis indoles ad vitam honeste & tranquille agendam requirit. Ex quo & illud consequitur, rationem istos valde fugisse, qui conciliationem harum quoque sectarum, quas tetigimus, cum Protestantibus moliti sunt, eoque fine vel Symbolum Apostolicum, vel aliam laxissimam formulam proposuerunt, velut ad concordiam Ecclesiasticam sufficere posset, circa isthæc

consensisse. Circa reliquos Articulos extra eam formulam positos perindè esse, quid quisque sentiat; nec eum dissensum paci quidquam officere. Nam si formula concordiæ ita laxe concipiatur, ut eadem quibusvis sectariis jam expressis ad palatum sit, Theologia emerget oppido quam jejuna, ac mutila, & quæ parùm è solido Christianismo retineat, planè proscriptis, quæ aliquid mysterii continent.

Quidam circa aliquot duntaxat Articulos dissentiunt.

§. 15. Dantur autem contra, quorum doctrina non toto Systemate discrepare videtur, sed qui circa magnam Articulorum partem conveniunt, ut dissensus tantùm circa aliquos Articulos, aut quæstiones versetur. Id autem apud omnes, puto, in confesso est, non quamvis erroneam opinionem esse exitiabilem, & cum periculo salutis conjunctam, sed eam tantum, quæ fundamentum fidei salvificæ evertit. Nam postquam à primæva simplicitate fidei Christianæ discessum est, multis libido subiit ejusdem mysteria, submissa veneratione adoranda, in materiam subtilitati ingeniorum exercendæ convertere, ac in modos, queis divinæ sa-

pientiæ ac potentiæ ſeſe placuit exſerere, curioſe inquirere; tùm circa quæ rationem qualemcunque ſibi inveniſſe viſi ſunt, velut palmaria fidei capita aliis obtrudere, ac diſſentientes Heterodoxiæ arguere. Igitur poſtquàm in tàm vaſtam molem Theologica Diſciplina intumuit, ac tanto quæſtionum in utramque partem diſceptari ſolitarum proventu luxuriare cœpit; jam palmaria quæſtio in eo vertitur, quænam quæſtiones fundamentum fidei tangant, quænam extra illud cadant? Id enim antè omnia priùs definiendum fuerit, ſi circa conciliandos ejusmodi diſſidentes operæ pretium fieri debeat. Nam uti cum iis, qui circa fundamentum fidei errant, quamdiu eum errorem mordicùs defendunt, fruſtra de pace Eccleſiaſtica agitur: ita ſi quorum ſententia circa fidei fundamentum rectè ſe habeat, ac diſſenſio tantùm circa quæſtiones innoxias ſuperſit, eos hanc ob cauſam à communione, ac fraternitate excludere, caritati Chriſtianis tantòpere commendatæ quam maximè repugnat. Id porrò quilibet cordatus facilè agnoſcit, formulis ambiguis, aut obſcuris, aut quæ tacitis exceptio-

nibus & interpretamentis locum relinquant, nil ad Concordiam profici; Sed candidè & bona fide agendum esse, ac sententiam perspicuè ac citra insidias exponendam, ac si iisdem loquendi formulis cum altera parte utamur, eundem quoque sensum præ oculis habendum. Quia porrò maxima in eo difficultas vertitur, utrùm aliqua quæstio controversa ad fundamentum fidei spectet, an minùs, quod isthoc à quibusdam latiùs porrigatur, à quibusdam arctiore limite circumscribatur, nec idem eodem modo ab omnibus deducatur; judicaverim plurimùm ad abolendam controversiarum segetem facturum, si quis ea dogmata, circa quæ utrinque convenitur, in plenum, nec hiulcum aut mutilum Systema Theologiæ ex iisdem principiis probè concatenata serie à capite ad calcem extruere conetur. Quorum enim dogmata in ejusmodi Systema redigi possint, iis, quo minùs in unam Ecclesiam particularem coalescere queant, quid obstet nihil video, modo indignos Christianis affectus eliminare velint. Ubi si maxime quædam quæstiones controversæ supersint, cùm tamen eædem velut ex-

tra Syſtema cadant, ipſum fidei fundamentum tangere haut ſunt cenſendæ, eoque nec ſufficere, ut ideò concordia & communio abrumpatur, aut abrupta maneat. Ac ſi iſtæ quæſtiones nullo modo componi queant, præſtiterit plane ab iſtis abſtrahi, easque velut ſuperfluas & inutiles, quin noxias, ac litigiis, anſam præbentes è Theologia proſcribi. Sermo autem nobis eſt de juſto Syſtemate, & quo omnia, quæ perfectos Chriſtianos noſſe par eſt, contineantur, quodque adeò omnes Articulos complectatur, qui catenam fidei abſolvunt. Nam aliud eſt quærere, quinam Articuli ad ſalutem ſufficiant catechumeno, puero, aut è rudi plebecula homini, quibus multa ignorare impune licet, modò in Salvatorem mundi fiduciam reponant, nec poſitivum errorem foveant huic fiduciæ adverſum. Sic latro in cruce, plurimique ſimplices, & quondam qui inter primam Chriſti confeſſionem è martyrum conſtantia conceptam ad ſupplicium abrepti fuerunt, ſalute potiti ſunt, quos totam fidei œconomiam intellexiſſe nemo dixerit. Unde & arbitramur, plurimos etiam in corrup-

tissimis Christianorum sectis salvari, qui profunditates Satanæ non intelligunt, decepti, non Deceptores, quibus simplex in Salvatorem mundi fiducia palmarium Religionis caput est. Ast longè plura requiruntur ad plenum Systema, quod integrum corpus doctrinæ Christianæ continere debeat.

Specimen Systematis Theologici, in quod omnes Protestantes consentire posse videntur.

§. 16. Faciamus igitur periculum, utrùm ejusmodi Systema Theologiæ concinnari possit, in quod duæ Protestantium partes, quæ vulgò Lutheranorum, & Reformatorum vocabulo veniunt, consentire queant. Ex quo pendere videtur decisio palmariæ quæstionis; utrùm isti in fundamento fidei, seu fundamentalibus Articulis conveniant, an minùs. Id quod hactenus plerique Lutherani negarunt, Reformati contra affirmarunt. Quæ disceptatio eo redit; quinam fundamentales sint Articuli fidei, quinam minùs? Quibus designandis vix expeditior via videtur, quàm Systemate Theologiæ ex utrinque concessis formato; tùm expensis, quæ restant, controversiis, nùm catenam fidei abrumpant. Ac nùm eæ tanti sint, ut ideò dissidium inter partes

tàm infensis animis alendum sit tanto cum præjudicio communis causæ adversus communem hostem, per istud ad utrosque subruendos viam sibi quærentem.

§. 17. Isti Systemati placet præmittere, ad commodiùs inveniendum ejusdem ingressum, quædam postulata seu præsupposita, quæ inter eas quidem partes citra operosam probationem facilè admittuntur. Inter quæ primo loco ponimus: Cognitionem Dei naturalem non esse sufficientem ad ejusmodi cultum, quo idem propitiari hominibus possit. Equidem homo solo rationis lumine suffultus eo potest assurgere, ut intelligat, superiorem aliquam existere potentiam, abs qua res mundanæ, &, qui in hisce conspicitur, motus promanent; cum res ipsæ à seipsis existere, nec motus sibi ipse originem, tantamque vim, & tam constantes leges dare potuerit. Id etiam ratiocinando colligi potest, supremam illam potentiam non esse brutam, seu nihil aliud habere, quàm vim ponderis; Sed intelligentem, quæque adeò ipsa norit quid agat, ac seipsam ad agendum, & tali modo agendum determinave-

Præsupposita; aut postulata.

Cognitio Dei naturalis non est sufficiens

rit. Nec difficile eſt accurate inſpecta mundanorum operum indole de conditoris magnitudine, & præſtantia colligere. Seipſum autem quando contemplatur homo, non ſolùm certò intelligit, ſe non proveniſſe à ſeipſo, ac itidem originem ſuam ſupremæ iſti potentiæ debere: Sed etiam ſuam conditionem ita eſſe comparatam, ut rite adhibito rationis adminiculo aliarum, quas pariter in mundo conſpicit, rerum conditione non paulò potior deprehendatur. Ex quo haut immeritò concludit, humanum genus ſupremæ iſti potentiæ, quam Deum nuncupamus, curæ fuiſſe, & inter præcipua opera, quæ à terra ſuſtinentur, ab eodem habitum. Tum & ubi ab ipſius operibus ad ejusdem naturam contemplandam aſſurgit, bonam hanc, & ſumme perfectam, atque eminentem, eoque veneratione & amore dignam agnoſcit, ita ut ſi ſecius adverſus eam affectus ſit; vel ſeipſo judice non poſſit non intelligere contra rectam rationem à ſe fieri. Enimverò ex ſolis hiſce ſpeculationibus, ni aliud lumen acceſſerit, homo colligere non poteſt, qualem cultum ac venerationem, & quibus ſignis, &

actibus constantem Deus ab ipso exigat, & quidem quæ isti probetur eo cum effectu, ut in hominem inde peculiare aliquod bonum proveniat, præter ea commoda, quæ communis naturæ cursus suppeditet. Vid. *Jes.* XLIV, 9. *seqq. Coloss.* II, 22. Etsi contra Deus eos, qui naturali Dei cognitione non usi sunt, in absurdissimas libidines prolabi permisit. *Rom.* I, 21. *seqq.* Uti nec illud ex sola ratione liquidò ac firmiter deduci potest, an & quid homini post hanc vitam boni malive supersit, & quæ sibi ratio ad illud assequendum, ad hoc declinandum ineunda sit. *1. Corinth.* I, 19. 20. 21. II. 6. 7. 11. 12. 13. 14.

§. 18. Quia tamen homo ex eo, quod animum habeat cultus divini capacem, rectè colligit, eum cultum ut exerceat sibi non inconveniens esse; simul nihil repugnare deprehendit, quò minùs Deus cultum sui ab homine præstitum adprobet; cui nec deesse possit facultas eundem ampliore felicitate, quàm qua nunc gaudet, mactandi. Sed & maxime bonitati ac sapientiæ Dei conveniens est, cum hominem cultus divini intelligentem condiderit, eundem quoque super

Dari Religionem revelatam, rationi utique congruit.

cultu isto rite instituendo edocere. Quin rationi repugnare videtur, dato, qui cultu dignus sit, dato etiam, qui ad eundem obeundum idoneus sit, ejusdemque obeundi causas habeat, non dari quoque informationem super eo cultu rite exercendo.

Non sunt idoneæ rationes divinas revelationes in dubium vocandi.

§. 19. Revelatio ista super divino cultu uti illis, queis immediate facta est, ejusmodi certitudinis ac soliditatis suæ indicia impressit, quæ iisdem nullam illusionis, aut deceptionis suspicionem, aut probabilem metum relinquerent; ita apud illos, ad quos ea primis mundi temporibus per traditionem velut de manu in manum, ac post per Scripturas propagata fuit, præter ipsam rerum indolem, & multas alias veritatis notas, id quoque ad earum fidem adstruendam facere potest, quod cum istæ revelationes non simul & semel uni homini factæ sint, sed diversis hominibus, haut eodem tempore nec iisdem locis, & per particulas contigerint, inter eas tamen tanta sit uniformitas & harmonia, ut impossibile fuerit, a tam multis tam diversis temporibus & locis in figmentum aliquod conspirari potuisse. Impossibile quoque est, tantam Harmo-

niam inveniri posse in imaginationibus, quæ è morbis melancholicis provenire solent, quippe quæ mille formas inter se dissonas ac malè cohærentes phantasiæ offerunt. Accedit, quod in istis revelationibus multæ occurrant prædictiones, longo tempore antè eventum factæ, quando hujus nulla adhuc dispositio extabat, conjecturæ ansam præbere idonea, quibus eventus accuratissimè respondit. Quæ sanè ad nullam aliam causam referri possunt, quàm illam, penes quàm totius universi regimen est, & cujus notitiæ omnia præsentia, præterita, ac futura sunt exposita. Vid. Jesaiæ XLI, 22. 23. 26. XLII. 9. XLIV. 7. XLIV. 28. XLV. 1. XLVI. 10. Ad scopum autem ejus revelationis necessarium est, ut & eadem ita sit perspicua, quo voluntas Dei liquidò, & quantùm ad eum finem sufficiens est, inde cognosci queat, adeoque ut tantùm liquidò repræsentet, quantùm ad cultum Deo probatum sufficit. Earum porrò revelationum promptuarium est Sacra Scriptura, circa cujus divinam originem, autoritatem, & alia attributa inter Protestantes nihil controversiæ est, nisi quæ circa ejus efficaciam in-

æqualem ex Hypothesi absoluti decreti Reformati movent.

Veræ Religioni inest pactum.

§. 20. Cùm igitur apud omnes Christianos in confesso sit, Religionem atque cultum Dei non esse inventum humanum, nec ab arbitrio hominum pendere, qua ratione Deum colere velint; Sed à Deo ipso hominibus revelatum fuisse, qualem cultum ab hominibus ipse sibi exhiberi velit, & quis effectus inde consequatur, ubi homines eum ritè obierint, aut eundem neglexerint; ex eo intelligitur veræ Religioni inesse pactum aliquod inter Deum & homines. Vid. *Deut.* IV. 2. XII, 32. *Jes.* VIII, 20. Pactum enim est duarum voluntatum circa idem unio, seu consensio, & conspiratio. Quando igitur Deus indicat, quomodo ab homine coli velit, & homo in se recipit, eum se cultum obire velle, tunc existit consensio voluntatis divinæ & humanæ, ac homo fidem in Deum, ac Religionem habere dicitur, quam antè istam consensionem non habebat. Etsi enim Deus nude pro imperio homini cultum sui injungere potuisset, ad quem etiam homo ex virtute creationis tenebatur: placuit tamen ejus sapientiæ ac bonitati

istum per modum pacti potiùs, ac præmio aliquo ostentato stabilire, ita ut propositione à Deo facta hominum consensus & acceptatio accedat, atque inde mutua velut obligatio, & arctior amicitia atque conjunctio inter Deum & homines enascatur. Quo ipso tamen nihil detrahitur imperio Dei in homines, quod iste è creatione obtinet: nec inde consequitur in arbitrio, hominis esse pactum cum Deo inire velit, an minùs, aut impune ipsi fore, si idem adspernetur, ac sine vera Religione agere velit. Nam est utique obligatio ad amplectendum id pactum à Deo oblatum, ita ut idem acceptare abnuentes gravissima pœna maneat; *Matth.* X, 14. 15. XXII, 7. *Luc.* XIV, 21. 24. & ex eo pacto strictior adhuc, quàm è nudo præcepto obligatio resultat, quod præceptum etiam invito injungi queat, pactum autem sponte ineatur, ita ut si idem non observetur, nulla excusatio adferri queat. Unde *Exodi* XXIV, 8. de fœdere dicitur, quod Deus *διέθετο, iniit*, de quo eodem *Hebr.* IX, 20. dicitur *ἐνετείλατο præcepit.* Scilicet Deus pro sua sapientia cultum sui seu Religionem non tota velut efficacia sui imperii homi-

nibus injungere voluit, qua circa creaturas ratione destitutas utitur, *Psalm.* CXLIIX. 5. 6. 7. 8. sed variis rationibus delinificis homines permovere instituit, ut libenter in istum consentirent. Unde & *tempora ignorantiæ aliquandiu dissimulasse* dicitur *Actor.* XVII, 30. Nam quia Deus cultum exigit, ac venerationem, cui sincera cordis inclinatio, & dilectio insit; iste non per rigida imperia extorqueri, sed per suaves motus elici aptior erat; ac pœna, quæ contemptores Religionis manet, non confestim, ac per manifesta supplicia repræsentatur, uti circa violationes legum humanarum fieri suevit; sed ea ferè in futurum prominet, & maximam partem post absolutum hujus vitæ curriculum differtur. Unde & Deus circa Religionem, adeoque in toto negotio salutis nostræ non agit ex tota vi suæ potentiæ, sed prout est Ens liberum suam potentiam non nisi certo cum temperamento, & ordine, ac intra certos limites exserit, quos ipse sibi posuit. Sic ut in hac materia non inquirendum sit, quid Deus possit, ex omnipotentiæ suæ viribus, sed quid ex dispositione sui consilii velit. Ex quo & il-

lud adparet, omnem Religionem tolli, ac in nudum motum Physicum converti, si quis totum hominem pro nuda tantùm machina, & quæ alieno duntaxat impulsu moveatur, habeat; utut aliàs iste non solùm in origine à Deo dependeat, sed etiam ut in sui existentia conservari, suosque motus exserere possit, continuò Dei influxu eidem opus sit. Nam si quid eo nomine homini imputandum sit, quod aliquid fecerit, aut omiserit, deque eo ad reddendam rationem teneri debeat; necessum est, id minimùm facultatis in ipsius arbitrio existere, & quod nulla necessitate aliundè, accedente proprio motu expromere possit, ut si maximè propria vi, ac instinctu ad aliquam actionem se movere nequeat, saltem tamen aliundè oblatam agendi facultatem rejicere, ac semel admissam negligere, iterùmque expellere queat. Aliàs enim homini actiones aut omissiones suæ non magis imputari poterunt, quàm aberrationes Horologii ipsi machinæ, cui sanè nulla suorum motuum libertas est, sed qui unicè ab artificis determinatione proveniunt. Sic ut quævis prædeterminatio aut prædestinatio,

quæ homini ſaltem iſtam libertatem negativam ſeu rejiciendi & reſiſtendi facultatem non relinquit, ex homine puram machinam faciat, adeoque omnem Religionem, ipſamque moralitatem penitùs evertat. Nam quidquid ſignorum abs tali ederetur, ea non magis pro vero cultu haberi poſſent, quam ſi ab artifice ſtatua conficeretur, quæ accedentibus hominibus ſeſe inclinaret. Quod autem præſcientia Dei, utique falli neſcia, nullam prævifis ejusmodi actibus hominum neceſſitatem adferat, id inde eſt, quod in Deo nulla ſit ſucceſſio temporis, ſed eidem ob infinitam eſſentiam, initio ac fine carentem, omnia præſentia eſſe, ac ab iſto præſenti intuitu adſpici intelligantur, adeoque & providentia. & directio Dei motum creaturarum velut concomitetur. Aſt ſucceſſio motuum & temporis ſecundum priùs & poſteriùs in ipſis rebus eſt, ac hominis intellectus finitus & creatus, adeoque creatis & finitis rebus attemperatus, res velut præteritas præſentes, ac futuras concipit. Unde & præſcientiæ vocabulum, quando id Deo tribuitur, ab iſta imperfectione eſt deputandum.

§ 21.

§. 21. Cæterùm habent pacta Dei cum hominibus inter alia id peculiare, quod iis ineundis non ejusmodi voluntatum conspiratio requiratur, ut ad istud pari utrinque motu atque instinctu accedatur; sed invitatio, & declaratio à parte Dei longè præcedere, ac tantisper immota persistere potest, quoad à parte hominum acceptatio longo licet post tempore subsequatur. Quâ accedente unio voluntatum Dei & hominum, adeoque plenum pactum emergit. *Johan.* XV, 16. Porrò pacta inter homines iniri solita ferè continent mutuam partium utilitatem, etsi aliquando disparem. Nam ea hominum indoles est, ut nemo obligatione se stringere gratis velit, nisi qualecunque emolumentum inde expectet. Ast in pactis Dei cum hominibus quæ ab his præstantur haud quidquam pretio exæquant illa, quæ Deus ex suâ parte exhibet; Sed congruum est Majestati, ac perfectioni divinæ, ut omnis istorum pactorum fructus in solos homines velut partem debiliorem redundet, solâ benignitatis gloriâ Deo relictâ. *Roman.* XI, 35. Unde & quæ homo ex eo pacto expectat, hautqua-

Peculiaris indoles pactorum inter Deum & homines.

quam suo merito attribuere potest; sed quæ Deus ex suo pacto præstat, haut eò seciùs ipsius gratiæ debentur. *Apocal.* V. 12.

Primævum pactum Dei cum homine.

§. 22. Sacras Scripturas igitur excutientibus adparet, plura pacta à Deo cum hominibus inita; inter quæ meritò primum locum sortitur, quod initum fuit quando Deus hominem recens creatum in Paradiso collocavit. *Genes.* II. 16. 17. III. 2. 3. Ad cujus indolem intelligendam consideranda sunt tum *conditio paciscentium*, tum *capita istius pacti*. Deus igitur, tanquam primarius paciscens post cœlum terramque ac reliqua animantia condita hominem creavit, in quo eximium sapientiæ ac bonitatis suæ specimen ederet, & à quo se agnosci, colique vellet. Eo fine dicitur, quod Deus hominem creaverit ad imaginem seu similitudinem suam. *Genes.* I, 27. Quæ uti eximii quid fuisse ipsa verborum emphasis innuit; ita quibus perfectionibus constiterit, distinctè quidem ibi non exprimitur, sed ex aliis Scripturæ locis ratiocinando colligendum est. Creaverat igitur Deus universum mundi systema, ac omne animantium genus; sed hæc

Primæva hominis conditio.

cum corporeæ machinæ ſint, nullam Dei tanquam incorporei ſimilitudinem habere poſſunt. Aſt in homine exiſtit aliquid, quod in aliis animantibus non reperitur, nempe mens, ſpirituali & immortali natura,& intelligendi atque volendi facultate præditâ, quæ velut tabula eſt, cui imago Dei inſcripta fuit, quæ propriè in eminenti intellectus lumine, & voluntatis rectitudine conſiſtebat. *Coloſ.* III, 10. *Eph.* IV, 24. Unde amiſsâ per lapſum imagine Dei remanſit quidem anima rationalis, intellectu & voluntate prædita, ſed iſtis perfectionibus orbata. Ac circa intellectus quidem lumen dubitandum non eſt, quin id longè clariùs & perfectiùs fuerit, quàm id quod nunc homini ſupereſt, etiam poſtquam exquiſitiſſimo ſtudio excultum eſt. Unde & quæ nunc de Deo ejusque attributis è naturali lumine novimus, tum quo modo eundem ab homine agnoſci atque coli par ſit, iſte longè perfectiore gradu intellexit. Quæ tamen ad cultum Dei pactitium pertinent, ſeu quæ Deus naturali religioni adjecit, ea ipſum non è rationis lumine, ſed è divinâ revelatione hauſiſſe certum eſt. Aliàs

Intellectus primævi hominis.

enim pravis Satanæ ratiociniis ad eundem ſeducendum locus non fuiſſe videtur, quæ contrariâ ratiocinatione ſtatim elidi potuiſſent. Sic & quo ordine machina mundi à Deo extructa fuerit neque ex propria inſpectione, quippe tunc nondum exiſtens, percepit, neque ratiocinando colligere potuiſſe videtur; Sed itidem eam notitiam è divina revelatione hauſit, ac ad poſteros ſuos per traditionem transmiſit. E qua traditione etiam Moſes, divinæ Hiſtoriæ conditor, accedente, & concomitante divinâ illuminatione & inſpiratione, fallere & falli neſcia, ea, quæ ad origines mundi ſpectant, didiciſſe videtur. Quo ipſo ego quidem non dubito, quin ſimul perceperit, quæ *Pſalm.* XXXIII. 6. & *Job.* I. 1. de verbo & Spiritu Dei extant, adeoque tunc eidem myſterium Trinitatis, & quod Deus ſit trinus & unus revelatum fuerit. Circa res naturales, quatenus vitæ humanæ uſum præbere poſſunt, promptam & exquiſitam cognitionem eum habuiſſe, è primo ſtatim intuitu ortam, ex eo quod de impoſitione nominum animalibus ab Adamo factorum S. Scriptura memorat, colligi poſſe vi-

detur. Nec minus indubium habendum, quin Adamo de officio adversus alios homines, qui deinceps orituri sint, saltem quando extituri erant, constitutum fuerit. *Genes.* II, 23. Uno verbo dixeris, Physicam, atque Ethicam usualem ipsi quam maximè fuisse perspectam. Nec dubitaverim, quin ubi animum adverteret, veritates Mathematicæ eidem forent perspicuæ, ut tamen experientia atque meditatio ipsius scientiam potuerit reddere pleniorem, atque perfectiorem.

§. 23. Voluntas primi hominis ab initio recta, omnisque labis & peccati expers fuit, eoque justitiâ & sanctitate enituit. *Ephes.* IV, 24. Quas voluntatis affectiones pro isto hominis statu naturales dicere possumus, quippe naturam humanam, prout à Deo condita est, comitantes; sed quæ nunc post supervenientem labem inter bona supernaturalia numerantur. Ac sane voluntatem primorum hominum ab initio ita labilem, & in prava proclivem haut fuisse, inde liquido colligitur, quod in præsenti mortalium conditione, etiamsi primos concupiscentiæ motus, ipsamque concu-

Voluntas primævi hominis.

piscentiam, ac naturæ ad mala proclivitatem, è peccatorum classe velimus eximere, (quod fieri non potest ac debet,) saltem moraliter impossibile sit, etiam solicite animum advertere studenti, non quandoque in peccata prolabi. Atqui si ab initio Deus naturam hominis ita comparatam condidisset, non adparet, quomodo is salvâ justitiâ omnia promiscuè peccata pœnis sancire potuerit; cum à lapsibus illis ferè involuntariis ad graviora facilis sit progressus. Quanquam autem voluntas ad bona proclivis fuerit, & à malis, ubi sibi relicta foret, abhorruerit; eadem tamen aliena seductione in malum pertrahi potuit, uti tristis eventus ostendit.

Pactum primævum Dei cum homine.

§ 24. Cum homine igitur ita comparato Deus ab initio super cultu sui, seu religione pactum inivit. Quod quibus capitibus constiterit, ita presse definiri non potest, quod historia paradisiaca paucis verbis in sacris literis absolvatur. Cujus rei causa referri potest in brevitatem temporis, quo par illud hominum in eo statu vixit, & quia nullo adhuc literarum & scripturæ usu reperto, omnis rerum memoria per traditionem erat conser-

vanda, quæ cum tempore ſemper atteritur, atque imminuitur. Quanquam & veroſimile ſit, Protoplaſtos pudore lapſus ſui, ac declinandæ poſterorum exprobrationi, quos ſecum in miſeram conditionem ſuâ culpâ conjecerant, parciùs ſuper primævo ſtatu, ejusque felicitate, ac non niſi obiter tradidiſſe, prout nemo non turpitudinem ſuam ſilentio involvere ſtudet. Ni dicere malimus, ipſo lapſu obliteratam fuiſſe notitiam priſtinæ conditionis, eosque jam ad malum pronos non ampliùs meminiſſe primævum animi ſui habitum. Extitiſſe tamen utique pactum Dei cum Adamo ex eo facile colligitur, quod in univerſum nulla dari poſſit religio, quæ quidem Deo grata ſit, niſi ea ab hoc homini propoſita, & ab homine recepta ſit. Quanquam enim locus *Hoſea* VI, 7. qui aliàs eam rem clariſſime exprimeret, non ab omnibus pro Adamo fœderis transgreſſore accipitur, ſed vocabulum *Adam* pro appellativo habetur: tamen clare id evincitur ex *Rom.* V, 14. *ſeqq.* ubi Adami peccatum ſingulare & ab aliorum hominum peccatis diſtinctum dicitur, quia ſcilicet eidem inerat violatio fœ-

deris, quod cum Deo pro ſe & poſteritate ſua, totoque adeo genere humano iniverat. Quod & oppoſitio inter Adamum & Chriſtum oſtendit. Nam uti hujus juſtitia ex fœdere in ſalutem cedit humano generi; ita & iſtius delictum ob fœderalem rationem humanum genus peccato & miſeriâ involvit. Citra fœderalem enim eam rationem neque unius juſtitia aliis prodeſſe,neq; unius peccatum alteri obeſſe poterat. Capita autem ejus fœderis maximam partem eo redierunt, quod Deus ſingularem reverentiem ac dilectionem ſui, tum & dilectionem proximi in univerſum ab homine ſtipulatus fuerit, etſi aliàs illa ex contemplatione beneficiorum Dei, hæc ex ſociali hominis naturâ reſultet. Sanè cultus & Religio ſine veneratione, dilectione, & per utramque temperato metu intelligi nequit. Dilectio autem proximi ex eâ lætitiâ colligitur, qua Adamus perfuſus legitur, conſpecta, quam Deus adduxerat, compare. Et ubi felix hominum conditio ſupponitur, ibi neceſſum eſt mutuam inter iſtos caritatem dari; cum contrarii huic affectus non niſi moleſtias, turbas, & infelicem

ſtatum producere apti ſint. Viciſſim autem Deus homini fœderis hujus leges ſervanti præſentis ſtatus feliciſſimi continuationem, tum immunitatem à morte, ſeu deſtructione hujus corporis cum dolore conjuncta, tùm vitam æternam pollicitus eſt. Primum ex eo colligitur, quod homo poſt violatum fœdus ex horto felicitatis ejectus, ac ad laborioſum vitæ genus relegatus eſt. Alterum ex comminatione divina. *Geneſ.* II, 17. & excluſione ab uſu arboris vitæ. *Geneſ.* III, 22. 24. colligitur. Add. *Sirach.* XV, 14. 15. 16. 17. 21. XVII. 10. Cùm enim corporis humani machina ex materia per naturam fragili compoſita eſſet, ea continuò particularum motu & ſucceſſione non poterat non paulatim atteri, ita ut demùm non poſſet non deſtructio ejusdem ultrò conſequi. Cùm enim rerum natura in præſens ita ſe habeat, ut corporeæ partes inter ſe frequenter colliſæ non poſſint non demùm atteri, & priorem formam amittere, eoque paulatim ad machinæ deſtructionem diſponi: hanc velut naturæ & motus legem non ab initio creationis extitiſſe, ſed demùm poſt lapſum homi-

nis proveniſſe, vix quæ id perſuadeat ratio adparet. Et corpora, in quæ ejusmodi alteratio non cadit, demùm in altera vita extitura ſunt, quæ & ideo *ſpiritualia* dicuntur. 1. *Corinth* XV, 44. 45. Si quis tamen dicere malit, animæ imaginem Dei adhuc incorruptam poſſidenti tale ab initio contigiſſe habitaculum, quod multis ὑπεροχαῖς præſentem corporis indolem ſuperaret, non adeo repugnabimus. Præſertim cum etiam dici poſſit, adverſus illam attritionem, quæ in aliis corporibus per motum producitur, homini à Deo medicamentum datum, nempe lignum vitæ, cujus uſus attritionem perfectè ſupplere, ac deſtructionem inhibere poſſet. Quale medicamenti genus à Deo condi potuiſſe nemo pius abnegaverit. Vid. Apocal. XXII, 2. Illa autem conditio etiam mortis expers habenda eſt, ubi per remedia in promptu poſita prohiberi poteſt, ne mors actu unquam proveniat. Sicuti æternus ignis & ille dicitur, cui perpetua & nunquam interrupta alimenta præſto ſunt. Translatio autem hominis ex hâc vita in alteram æternam, quæ poſt longiſſimum ævi ſpatium heic exactum contigiſſet, non mortis

instar, sed suavissimæ migrationis habitura fuerat. Quod autem *Sapient.* II, 23. Deus hominem ad vitam æternam creasse dicitur, per id non negatur, ad eam consequendam fœdus intercessisse. Nam cum Deus cultum sui ab homine pro imperio etiam citra peculiare præmium exigere potuerit; ex pacto necessum est ortum fuisse, quod obsequium hominis æterna vita consequeretur.

§. 25. Cæterùm ingens ac singulare Sacramentum, & augustius, quam vulgò creditur, interdicto circa comedendos fructus de arbore scientiæ boni & mali contentum fuisse, è gravitate sanctionis colligitur, quæ in puram abstinentiam à simplici pomo constituta haut videtur. Nam in ista abstinentia posita fuit palmaria conditio fœderis, qua violata totum fœdus abruptum fuit. Prout & inter homines in pactis feudalibus jus ad id beneficium aliquando à certo temporis articulo, aut alia in se exigui momenti conditione suspenditur, qua neglecta feudum in commissum cadit. Unde Adami delictum non est metiendum ad modulum delictorum, quæ simpliciter adversus præcepta legum admit-

De arbore vetita.

tuntur, ubi proportio inter materiam delicti, & gravitatem pœnæ observari solet; quæ proportio in pactis feudalibus non attenditur. Sanè si distinctiùs nobis de indole primævi pacti, eidemque superstructi cultus constaret; nemini de iniqua proportione inter materiam interdicti, & subsecutam pœnam scrupuli quid in mentem veniret. Quanquam autem violato per hominem pacto isthoc planè abruptum fuerit hactenus, ut homo omnibus beneficiis, quæ aliàs ex isto expectare poterat, exciderit, & in opposita ipsis mala prolapsus sit; non tamen homo ideo omni obligatione adversus Deum exsolutus fuit, sed ad legem divinam connatam exactè servandam adstrictus mansit; quod hujus legis obligatio è nativa hominis conditione, & imperio Dei in ipsum è creatione quæsito promanarit. Quàm licet gratis, & cum comminatione pœnæ Deus exigere posset; tamen velut conditionem primævo fœderi inserere, ac in cultum sui, & ex qua præmium consecuturum esset, imputari sibi voluit.

§. 26. Sic igitur homines postquam fœdus istud violarant, conjun-

ctis illi beneficiis exciderunt, simul labem contraxerunt, qua & intellectus cumprimis circa divina corruptus, ac voluntas in prava proclivis reddita fuit. Quæ labes tamen directa & propriè dicta pœna violati fœderis, seu lapsus dici non potest, quod justitiæ divinæ haut quadrare videatur in ultionem peccati directè constituere aliud peccatum, seu ejusmodi conditionem, quæ homini quandam peccandi necessitatem adferat. Sed fuit eadem velut naturale quoddam consectarium lapsus, & corruptio animæ è primo illo peccato provenientis, quo primæva illa integritas & sanctitas destructa est, expulsa simul gratia divina, quæ istam comitabatur. Nam & nunc gravi aliquo peccato proclivitas ad plura provenit, & qui semel absterso pudore in libidinem consensit, proniore semper lapsu in fœda ruet; ac, uti Historicus loquitur, fœmina amissa pudicitia haut alia abnuerit. Neque enim credendum est levem fuisse in animabus protoplastorum commotionem, ac convulsionem, cum ad abrumpendum fœdus cum Deo descenderent. Nam pro reverentia Dei, subiit contemptus ejus, dum

De statu hominis post lapsum, ubi de Peccato Originali.

ſuggeſtiones ac ſuaſiones ſerpentis tam gravi pœna ſancito fœderi divino prævaluerunt;ac pro filiali amore ſucceſſit contemptus & odium, parem cum Deo conditionem affectantis. Qui enim ſuperiori ſuo par fieri affectat, non poteſt non eundem & contemnere, & odiſſe. Prout & poſtquam agnitio delicti ſui gliſceret,protoplaſti occultare ſe inſtituerunt; quod ſignum erat corrupti intellectus, ac ſtoliditatis, omniſcium Deum velle fallere, ac odii ſimul, & excuſſi planè obſequii, velut qui deinceps ſuas ſibi res ſeorſim à Deo habere vellent. Et facta poſt excuſatio nihil ſubmiſſionis, ſed plurimùm ferociæ, & exprobrationis in ipſum Deum retortæ ſpirabat. Cum autem conſervatio præſentis ſtatus, in quo Adamus à Deo creatus erat, conditio fœderis eſſet, quæ abrupto fœdere ſimul expirabat: non ampliùs tenebatur Deus ad primævam conditionem protinùs inſtaurandam; eoque hominem corruptioni ſua culpa contractæ reliquit, per quam ad illecebras externorum objectorum etiam contra divinam legem rapitur. Ea porrò labes ad poſteritatem propagata fuit, quia Deus no-

vo in fœdere non primævæ perfectionis instaurationem, sed aliud remedium inveniendæ salutis promisit; eoque introductam semel corruptionem remanere permisit, quam cum naturali generatione propagari non magis naturæ repugnat, quam quod nunc cernimus parentum in peculiaria vitia, morbosque corporis inclinationem in sobolem transire. *Job.* XIV, 4. *Joh.* III, 14. 1. *Corinth.* XV, 48. Atque ista labes per lapsum Adami contracta *peccati originalis* vocabulo notari solet. Palmarius in eam rem locus est *Roman.* V. 12. *seqq.* cui jungendus 1. *Cor.* XV. 22. ubi ex oppositione Christi & Adami patet; sicut imputatio justitiæ Christi est ex fœdere; ita & peccatum Adami fuisse violationem conditionis fœderalis, ad quam præstandam Adamus nomine totius humani generis tenebatur, & qua violata genus humanum sanctioni pœnali ejus fœderis obnoxium fuit redditum, etiamsi ad similitudinem transgressionis Adami actualiter non peccarit. Inde scilicet mors ingruit, & quæ eidem viam sternunt; tùm privatio primævæ sanctitatis, & felicissimi habitaculi; ut tamen obligatio eam san-

ctitatem habendi cum lapſu non ſit extincta, quod Deus eandem ſervandam & cuſtodiendam dederit ſub conditione fœderali, & quaſi feudali, commiſſoriæ legi obnoxiam. *Rom.* I, 18. *ſeqq.* II, 2. 9. Huc delapſi hominis conditio tanto miſerior erat, quod nec intellectus ejus viam diſpicere poſſet Deum placandi, & voluntas in prava proclivis non poſſet non averſari eum, cujus iram metuebat, & à quo nihil propitii expectare dabatur, niſi novo gratiæ pignore accepto.

Fœdus Dei cum hominibus interveniente Mediatore.

§. 27. Enimverò poſt violatum primævum fœdus Deus haut ideò miſericordiam ſuam humano generi planè ſubtrahere, aut id deinceps cultus divini, ac fœderis expers agere, æternaque ſalute penitùs excludere voluit: Sed ejus bonitati placuit novum fœdus interveniente Mediatore cum eodem inire. Scilicet poſtquam Adamus tàm malè perſonam generis humani egerat, ſuaque culpa totius ſuæ poſteritatis felicitatem everterat, non ampliùs Deo viſum eſt immediatè, uti priùs, cum iſto paciſci, ſed interveniente ſequeſtre, ac ſponſore, qui labem generis humani expiaret, divinamque gratiam in homines, qui per pec-

peccatum familiari velut commercio cum Deo indignos ſeſe, & incapaces reddiderant, diſpenſaret. Et quia non placebat Adamum denuò totius ſuæ poſteritatis perſonam ſuſtinere, etiam hanc ob rationem Mediatore opus erat, quod ad contrahendam obligationem neceſſarium ſit, ut utriusque paciſcentis conſenſus eodem tempore concurrat. Cum autem genus humanum non uno tempore ſimul exiſtat, ſed, quæ illud conſtituunt, perſonæ ſucceſſivè proveniant; nec priores pro ſequentibus ſpondere, nec poſteriores priorum ſponſione teneri poterant. Igitur ut fœdus iſthoc omnes homines complecti poſſet, quocunque tempore exiſterent, idem in perſona Mediatoris conſtituendum fuit, ſic, ut hoc interveniente ſinguli homines quovis tempore ad illud accedere poſſent. Heic enim obſervandum, in iſthoc pacto genus humanum non conſiderari tanquam Societatem aliquam ita colligatam, ut circa idem ſubeundum non niſi cum conſenſu omnium aut plurimorum procedi queat, aut ut omnes pro uno, & unus pro omnibus fiant, ſed homines heic conſiderantur ut ſinguli, quorum cui-

libet integrum sit, pro se citra respectum ad alios id fœdus suscipere; secus atque inter illos, qui in unam Societatem colligati sunt, fieri suevit; ubi uni haut licet fœdus inire, aut imperium subire, nisi universi, aut major pars, quæ universos repræsentat, consenserint. Ex quo & hoc consequitur, quod quilibet suo duntaxat periculo ab eo fœdere deficiat; secus atque in primævo fœdere res se habebat.

Fœderis hujus prima promulgatio.

§. 18. De hoc fœdere Deus homini statim significavit. *Genes.* III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis, qui vicissim istius calcaneum mordebit.* Qua allegorica dictione insinuatur, è muliere per Satanam, Serpentis forma velut indutum, ad lapsum pertracta (adde 2. *Corinth.* XI. 3.) nasciturum, qui ejus caput, seu vires, per peccatum sese exserentes, contriturus, ipse tamen eo nomine mortem subiturus sit. Confer. *Genes.* XXII. 18. *Galat.* III. 16. IV. 4. Et absurdum, ac ridiculum est, heic de naturali aversione hominum à serpentibus cogitare. Dubium tamen non est, quin Deus etiam claris & simplicibus verbis fundamentale illud dogma Reli-

gionis exposuerit; nasciturum ex muliere, qui vim Diaboli, peccatumque, ejus consectarium, sit destructurus, in quo fiducia collocanda, & qui devota cum spe expectandus sit. Num tamen ita distinctè, uti deinceps, de persona, officio, & beneficiis Salvatoris edocti fuerint primi mortalium, haut fidenter asseruerim; cùm à divinâ sapientiâ non abhorreat, lactè priùs quàm solido cibo homines nutrire. Sanè quo longiùs ætas mundi processit, eò plus luminis hominibus accessisse deprehendimus, dum sequentia vaticinia prioribus plus subindè distinctæ notitiæ superaddunt. Isthoc fœdus porrò sua natura ad omnes homines pertinuit, velut in quo nullum alicujus exceptionis vestigium adparet: nec justitiæ Dei congruum videtur, dum communi hominum labi mederi instituit, fœdus novum ad paucos duntaxat porrigere, cæteris citra peculiarem culpam absque remedio in miseria relictis. Sicuti & prima ista promulgatio pro universali habenda est, quippe illis facta, qui tunc totum genus humanum componebant, à quibus istius notitiam haurire posteris in proclivi erat. Post tamen maxi-

ma mortalium pars paulatim per ſocordiam in diſperſione gentium per orbem terrarum, aut per malitioſum contemptum ejus fœderis memoriam exoleſcere paſſa eſt, ſic ut tempora *ignorantiæ*, & *tenebrarum* inde exſurrexerint, quæ Deo viſum *diſſimulare* ad Salvatoris uſque adventum hactenus, ut interim idem per univerſalem quandam promulgationem non recoleret. *Actor.* XVII. 30. Atque eo reſpectu *Epheſ.* II. 12. gentes illo tempore dicuntur fuiſſe abſque Chriſto, nullamque habuiſſe notitiam Meſſiæ, qui in redemptionem humani generis vel veniſſet, vel venturus eſſet: *alienati à republica Iſraëlis*, non modo à communione fidelium *Galat.* VI. 16. ſed populi Iſraëlitici, cui Deus peculiariter ſuam voluntatem revelarat, *Pſalm.* CXLVII. 19. 20. *extranei à fœderibus promiſſionis*, quippe quæ licet primum Adamo, inde Noacho, adeoque omnibus mortalibus absque aliquo diſcrimine in communibus eorum parentibus promulgata ſint; poſtea tamen particularis repetitio ejus fœderis Abrahamo, ejusque poſteris ſolis facta eſt; cum paulatim aliæ gentes, Chami & Japheti propagines, à

doctrina & communione Patriarcharum ſe disjunxiſſent, atque ad idolorum cultum deficientes à fœdere ſeipſos extraneos reddidiſſent. Quare & ſic caruerunt bonorum eo fœdere promiſſorum participatione, & *absque DEO fuerunt in hoc mundo*, ſeu absque cognitione Dei ad ſalutem ſufficiente, & absque legitimo Dei cultu. Adde *Epheſ.* III. 5. 6. 9.

§. 29. Ex iſthoc fœdere, cujus capita pauló poſt plenius evolvemus, nova emerſit religio, quæ intra primævam ſuam ſimplicitatem conſtitit obſervantia legis naturalis, tam erga Deum, quam alios homines. *Geneſ.* IV. 26. VI 9. XII. 8. XIII. 8. XIV. 23. 24. XVII. 1. Quæ pars è primigenia Religione remanſit, ac perpetuæ eſt obligationis, utpote ex ipſa natura homini per Creatorem attributa reſultans. Sed quia ob corruptionem naturæ legis naturalis obſervantia non poterat non valdè eſſe imperfecta, ac multis peccatis contaminata, inde ex novo fœdere acceſſit fides, ſeu fiducia & ſpes in futurum generis humani Salvatorem, velut per quem Deus hominibus peccata remittat, iisque propitius reddatur.

Ex hoc fœdere reſultans religio.

Citra hanc autem prior illa pars pro cultu verè divino reputari non poterat. Nam non poteſt cultus Deo gratus eſſe, niſi accepta ſit perſona colens: Deo autem peccato infecti homines accepti non ſunt, niſi intuitu Salvatoris. Sed nec diligere Deum poteſt homo, niſi norit, eum ſibi eſſe propitium: Deus autem non niſi per Salvatorem hominibus propitius eſt. Quia autem Deo haut placuit, Salvatorem protinus in principio mundi, ſed medio ejus ſpatio mittere, ideo voluit, ut efficacia mortis ab ipſo ſubeundæ retrò ſeſe ad omnium priorum ſeculorum fideles exſereret. Unde vocatur *Agnus occiſus ab origine mundi. Apocal.* XIII. 8. Quo ſpectat illud Pauli *Rom.* III. 25. *Jeſum Chriſtum à Deo propoſitum propitiatorium per fidem interveniente ipſius ſanguine ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem peccatorum* προγεγονότων, *præteritorum;* cum alioquin peccata illa, quæ anteceſſerunt ſatisfactionem Chriſti, videri posſint diſſimulata, & præterita eſſe ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ *in illa Dei tolerantia.* Add. *Galat.* III. 8. 9. *Actor.* IV. 12. XV. 11. *Hebr.* XIII. 8. Ejus autem expiationis à Salvatore

præstandæ Symbolum seu Sacramentum arbitramur fuisse sacrificia cruenta, seu immolationes vivorum animantium mundorum. Nam præter repræsentationem illam sacrificii, à Salvatore mundi in corpore suo exhibendi, nulla adparet ratio, quare Deus actum tam atrocem ab initio statim inter cultum sui receperit. *Colosf.* II. 14. 17. *Hebr.* X. 1. Quam & causam, si non solitariam, saltem è præcipuis fuisse arbitramur, quare Deus sacrificium Caini adspernatus fuerit; quia nempe non constabat animali, prout à Deo constitutum erat, & quod mortem Salvatoris repræsentare posset; sed frugibus per agriculturam provenientibus; quas iste in sacrificii vicem adhibuit contumacia ingenii, obsequium respuentis, an æmulatione in fratrem, ne ignobilius vitæ genus elegisse videretur. Unde & *Hebr.* XI 4. insinuatur; eum *sine fide* sacrificium obtulisse, quæ præceptum ac promissum divinum præsupponit. Ast postquam fruges quoque inter sacrificia divinitus receptæ sunt, illæ utique cum fide deinceps offerri potuerunt. Manifesto indicio, haut placere Deo ritus ultrò assumptos, præfer-

tim circa præcepta positiva, quibus omnis à jusso divino sanctimonia inest; eundemque adeo nolle fœderales leges arbitraria interpretatione detorqueri, eludi, aut immutari. Inde etiam est, quod temporibus antè institutum cultum Leviticum *ædificare altare Domino* idem sit, quod publicum Dei cultum instituere; quia nempe fœderalis cultus primaria pars erat mors Salvatoris mundi, quam sacrificia ob oculos ponebant. Ut mirum sit, veteres Judæos Messiani sacrificii ferè oblitos credidisse, reatum hominis in animam victimæ transferri, ac hujus morte istius delicta directe expiari. Cui errori ansam iis præbuisse videtur sinistra interpretatio *Levit.* XVII. 11. *anima cujusque carnis in sanguine est; ego verò destinavi eum vobis in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris: nam sanguis is est, qui pro anima expiationem facit.* Unde *Isaacus Abarbenel præfatione in Leviticum* ita scribit: *Æquum erat, ut effunderetur sanguis sacrificantis, & ut ejus cremaretur corpus ob peccatum suum, nisi benignitas Numinis acciperet ab illo in vicem permutationis & expiationis sacrificium istud, ut sic san-*

*guis esset pro sanguine*, *& anima pro animâ*. Sic *Bechai*. *Quia peccator dignus est, ut sanguis illius effundatur ad instar sanguinis victimæ, & ut corpus illius comburatur ad instar corporis victimæ, Deus verò benedictus victimam ejus ab ipso accipit, uti permutationem quandam, &* ἀντίλυτρον, *ecce quam insignis sit Dei benignitas erga illum. Quippe ex misericordia, & indulgentia admittit animam pecudis pro animâ ejus, fitque per eam expiatio.* Qui tamen error satis argui poterat è *Psalmo* XLIX. 8. 9. & L. 8. 9. 13. 14. LI. 18. 19. 21. *Hos.* VI. 6. *Mich.* VI. 6. 7. Ac idem expressè refutatur *Hebr.* IX. & X.

§. 30. Ne autem notitia hujus fœderis, ac futuri Salvatoris dispersis per orbem populis successu temporis planè exolesceret, *peculiaribus fœderibus* Deus cavere voluit; per quæ Messiæ stirps, quatenus ex hominibus provenire debebat, ad certam Nationem, atque familiam alligata fuit; post quoque loco, ac tempore nativitatis per Prophetas designato, ut homines velut manu ad istius cognitionem perducerentur. Fœdus, quod Deus post diluvium cum Noacho iniit

Fœdus particulare Dei cum Abrahamo.

de non repetendo ampliùs diluvio, huc propriè non pertinet, quippe quod extra Religionis complexum sit. *Genes.* IX. 9. seqq. Igitur primum heic locum assignamus fœderi, quod Deus cum Abrahamo iniit, cujus vi iste è domo patria exire tenebatur, quo discretus à cœtu idololatrarum ageret, ne & ipsius posteritas huic immixta eadem labe inficeretur. *Genes.* XII. 1. *seqq.* XIII. 14. 15. 16. Ejus fœderis conditiones à parte Dei erant assignatio terræ Canaan in habitationem posteritati ejus, numerosissimæ futuræ; *Genes.* XV. 18. XXVIII, 3. 4. 13. 14. 15. XXXV. 11. 12. *Exod.* II. 24. VI. 4. *seqq.* *Deuter.* IV. 31. & quod è semine ipsius Salvator mundi nascendus sit, à quo omnibus populis benedictio proventura. *Genes.* XVIII, 18. 19. XXII. 18. XXVI. 4. *Galat.* III. 8. 16. Quibus peculiaris gratia divina accedebat, & velut quædam amicitia. *Genes.* XVIII. 7. Ex parte Abrahami conditio fœderis erat conservatio doctrinæ de futuro Salvatore. *Genes.* XII. 8. seu prædicatio nominis divini. *Gen.* XIII. 18. XIV. 19. 20. 22. Et quidem cum fides in Salvatorem ex universali fœdere oriatur, Abrahamo ex peculia-

ri fœdere incumbebat, ut eam doctrinam publicè profiteretur ac propagare niteretur *Genes.* XVIII. 19. *Rom.* IV. 13. Et cum propter sterilitatem uxoris fides ejus vacillare inciperet, Deus id promissum repetiit, fœdusque renovavit. *Gen.* XV. 4. 5. 6. 18. Ubi fœderi isti sanciendo sacrificia adhibita leguntur *vers.* 9. 10. Accessit & huic fœderi generalis conditio omnium cum Deo fœderum, enixum pietatis studium, *Genes.* XVII. 1. 7. XVIII. 19. Monumentum hujus fœderis, & Sacramentum Deus instituit circumcisionem. *Gen.* XVII. 10. *seqq.* qua nota quoque Abrahami posteritas, è qua Salvator proventurus erat, ab aliis populis distinguebatur; simul salus & justitia per Salvatorem adquirenda obsignabatur. *Rom.* IV. 11. Nam quod apud alias quasdam gentes circumcisio adhibita fuit, id extra fœderalem considerationem factum; uti creditur, ob longitudinem præputii; an quod istæ è posteris Cethuræ, ac Esavi essent, qui istum ritum retinuerunt, ututhocce fœdus ad ipsos non pertineret. Durare autem debebat hoc fœdus usque ad Salvatoris adventum, quo præsente ejusdem vis ultrò

expiravit; quod in hujus exhibitione, ac inter homines visibili præsentia ejus fœderis ex parte Dei complementum consistat. Unde Paulus *Galat.* V. 2. pronuntiat: *si adhuc circumcidimini, Christus vobis nihil prodest.* Nam circumcisio respicit Christum adhuc venturum. Igitur qui eadem adhuc vel ut Sacramento uti vult, eo ipso negat Christum jam venisse; eoque Christianus circumcisionem observaturus opinionem fovet professioni suæ repugnantem. Unde & cum circumcisio aliquid sanctimoniæ, ac prærogativæ tribueret isti populo, 1. *Sam.* XVII. 26. post adventum Salvatoris *non amplius est circumcisio, aut præputium, non amplius Judæus, aut Græcus. Gal.* V. 6. Et scopo ejus ritus jam obtento ejusdem usus exolevit, nec inter Nationes eo respectu aliqua prærogativa, aut differentia est.

Fœdus Dei cum populo Israëlitico Mediatore Mose.

§. 31. Uti porro Deus hoc fœdere Salvatoris natales ad certam Nationem alligavit, quæ deinceps peculiari ejusdem promisso ad tribum Judam, *Gen.* XLIX. 10. & post ad Davidis familiam 2. *Samuel.* XXIII. 5. fuit restricta: ita ut spes humani generis eo conspectior foret, ejusque

notitia illuſtri modo usque ad impletionem conſervaretur, Deus eum in finem peculiarem civitatem, ſeu rempublicam condidit. Nam ne fortè ea notitia, ſi penes ſingulos duntaxat patresfamilias ejusdem cura foret, intercideret, aut per vim opprimeretur, ſi poſteritas Jacobi aliis gentibus immixta degeret, aut potentiorum ſervitio ſubacta in mores, & ſacra iſtorum tranſire cogeretur; Deus eum populum miraculoſo modo ex Ægypto eduxit, ac legibus, inſtitutisque ſapientiſſimis, tam circa ſacra, quam civilia negotia inſtruxit; tùm ritibus moribusque diſtinctis ab aliis gentibus agere juſſit, ac peculiarem terrarum tractum inhabitandum dedit, felicitate florentem, quo velut lumen in conſpicuo poſitum vicinis luceret, cujus & ſingularem protectionem in ſe recepit. *Deut.* VII. 6. 7. 8. Atque eo fine Deus peculiare fœdus ſequeſtre Moſe cum eo populo inivit; quod tamen neque fœdus novum cum Adamo inſtauratum, nec peculiare illud cum Abrahamo ſuſtulit, ſed utrumque ſimul complexum eſt, ac utrique plurima additamenta adjecit. *Gal.* III. 17. *ſeqq.*

Ejus fœderis conditiones.

§. 32. Conditiones hujus fœderis presſè ſumpti ex parte Dei ſunt, peculiaris protectio, ac ſupremum in eum populum regimen; ſic ut Deus ſeſe Iſraëlitis Deum, eumque populum peculium ſuum vocare gauderet: tùm ut eundem in terram Canaan introduceret, vid. *Exod. XXV. ſeqq. Deut.* XXVII. 9. 10. XXVIII. *tot.* XXIX. 1. 9. 12. 13. 14. 15. *ſeqq.* XXX. *tot.* XXXI. 9. 10. 11. 12. 13. XXXII. 10. 1. *Sam.* VIII. 7. XII. 22. 1. *Reg.* VIII 9. 21. 51. 53. IX. 6. *ſeqq.* 2. *Reg.* XI. 37. XVII. 7. *ſeqq.* 15. *ſeqq.* XXIII. 3. 1. *Paral.* XVIII. 21. 22. *Pſalm.* XLIV. 18. *ſeqq.* LXXX. 18. 19. CV. 8. 9. 10. 11. *Jerem.* XI. 3. *ſeqq.* XVI. 11. *Sirach.* XVII. 15. hancque iſti conſervaret, quoad ejus fœderis finis eſſet impletus. Conditiones ejus fœderis ex parte populi ſunt, peculiaris morum Sanctimonia, quæ ab aliarum gentium impuritate diſtingueretur. Vid. *Exod. XIX. 5. 6. 8. 1. Petr. II. 9. Exod. XXIV. 3. 7. 8. Levit. XX. 22. ſeqq. XXVI. tot. Numer. XXIII. 9. Deut. III. 23. 40. V. 33. VI. 21. ſeqq. XI. 22. ſeqq. XXVI. 16. ſeqq. Joſ. XXIV. tot.* Eo fine primævam legem in decem ſumma capita redactam illi ob-

ſervandam propoſuit, cum ſingulari commendatione præcepti de Sabbato, vid. *Exod. XXXI. ſeqq.* non ut ex ejus obſervantia æternam ſalutem nanciſceretur; ſed ut vita ad iſtam normam formatâ teſtaretur, ſe in perpetuo Dei fœdere conſtitutum, ac obligationi è creatione Deo debitæ, quantùm præſens naturæ ſtatus patitur, explendæ promptum, ſuoque exemplo alios ad eandem ſecum ſalutis viam quærendam invitaret. Unde & perduellionis pœna in eos ſtatuta eſt, qui ad alienos cultus populum inducerent, velut totum populi ſtatum convellentes *Deut. XIII. tot. XVII. 2. ſeqq.* add. 18. 19. Etſi apud Judæos ſucceſſu temporis falſa perſuaſio invaluit, ad adquirendam ſalutem ſufficere etiam exteriorem & ſuperficiariam ejus legis obſervantiam. *Matth. XIX. 20.* Quæ & inter cauſas fuiſſe videtur, quare poſteriores Judæi Meſſiam ſomniarint, qui terreno imperio conſpicuus ipſos quoque in dominationis partem vocaturus ſit, inſuper habita peccatorum expiatione per iſtum facienda. Contra quem errorem Salvator noſter, ac Paulus Epiſtolis cumprimis ad Romanos, Galatas, & He-

bræos acerrimè disputat. Inprimis autem Judæis injuncta fuit tanquam conditio fœderalis, ut exercerent cultum ab ipso Deo præscriptum, operosum, ac multis ceremoniis constantem, uniformem, immutabilem, à reliquarum gentium ritibus distinctum; quo per typos, & ænigmata munus, ac beneficia Salvatoris adumbrarentur. Quo accessit lex, ne iste populus in Ægyptum reverteretur, sed in assignata terra degeret, à mixtura aliorum populorum separatus, ac in sua Republica leges civiles seu forenses à Deo datas observaret. Quod si autem populus enormi violatione id fœdus infregit, aliquoties id solenni jurejurando è sua parte instaurasse legitur. 2. *Paral.* XV. 12. *seqq* XXIII. 16. XXIX. 10. XXX, 6. *seqq.* XXXIV. 31. *Esra X.* 3. *Nehem.* IX. 38. *Jerem.* L. 5.

Ejus fœderis Sacramentum.

§. 33. In Symbolum hujus fœderis, & ut ejus memoria perennaret, Deus Agnum Paschalem instituit sub id ipsum tempus, quo Israelitæ alieno imperio subducti in populum sui juris evasuri, ac peculiarem civitatem exhibituri erant. Ita is agnus fuit sacrificium fœderale, quod singuli patres

Paſchatis immolabant in confirmationem fœderis, quo Deus ſummum ſibi imperium in eum populum vindicabat, eumque adeo ſibi peculiarem faciebat, ac alieno ſervitio ſubductum in plenam libertatem aſſerebat: populo viciſſim ad agnoſcendum Dei imperium ſeſe obſtringente. Circa quam rem obſervandum, quod ſtatim atque Deus iſtius gentis ſe vindicem ferre cœpit, diſcrimen inter hanc, & Ægyptios, quorum dominatui ea hactenus ſubjecta fuerat, fecerit; ut quæ hoſce affligebant plagæ, iſtam non attingerent; & cum Angelus omne primogenitum per Ægyptum occideret; januas Iſraëlitarum ſanguine fœderali ſignatas præteriret. Placuit etiam Deo, ab eo menſe anni exordium apud Hebræos capi in memoriam libertatis, eo menſe populo partæ. Ideo autem id ſacrificium ab offerentibus Deus comedi, & penitus conſumi voluit, ut novos velut cives epulo exciperet, quotannis in memoriam ejus facti repetendo. Præterquam quod & myſtica ratio ſubfuit, qua iſte agnus alium illum agnum Dei adumbravit, qui peccata mundi ſuſtulit, cujus mactati merito domina-

tui Satanæ ſubtracti in libertatem filiorum Dei aſſerti ſumus. Habuit & illud Agnus Paſchalis cum omnibus Sacramentis commune, ut gratiam ſpiritualem ritè utentibus conferret, atque obſignaret. Fuit autem in neglectum Agni Paſchalis ideo tàm gravis pœna conſtituta, quod is contineret abnegationem imperii divini in populum Iſraëliticum, quodque adeò, qui id Sacramentum adſpernaretur, civis Dei eſſe nollet. Quo & ipſo pro captu eorum temporum omnem ſimul religionem fœderalem abnegatum ibat; cum reliquis privatis ſacrificiis tam ſtricta obligatio haut ineſſet. Quia porrò præcipuum Reipublicæ vinculum ſunt leges, itidem fœderale ſacrificium celebratum eſt, ſed non repetendum, cum iſtæ poſt in deſerto promulgarentur, ac populus ad easdem obſervandas ſeſe adſtringeret. *Exod. XXIV.* Quia etiam ea Respublica à Deo Religionis cauſa fuit condita, tabernaculum primâ die primi menſis non ſine ratione erectum fuit, *Exod. XL. 2.* Sic & conditum templum velut ſedes Religionis à Salomone magnifico ſacrificio inauguratum eſt, *1. Reg. VIII. 62. ſeqq.*

§. 34. Sicuti igitur peculiare fœdus, quod Deus cum Abrahamo, & postea cum Israëlitico populo sequestre Mose inivit, haut quidquam universale illud fœdus sustulit, quod Deus post lapsum cum hominibus fecit; sed illa huic superaddita fuerunt: ita & religio Judaica omnem cultum è tribus hisce fœderibus resultantem complexa est, & quidem ut singula horum fœderum suam indolem, suos effectus, atque conditiones retinerent. Unde salus animarum apud Judæos è solo fœdere Adamitico, adeoq; è fiducia in venturum Salvatorem adquirenda fuit, non è ritibus illis, per fœdus Abrahamiticum, & Mosaicum introductis: quod utrumque temporarium fuit, & ad certam prærogativam temporalem spectavit. Unde & promissiones horum posteriorum fœderum, seu quæ Deus ex sua parte præstanda recepit, fere temporalibus bonis constant; sed ex quo malè infertur, fidelibus ante Christum non fuisse datas promissiones vitæ æternæ, quippe quæ Adamico fœdere continebantur. Ita per legem Mosaicam qua talem, & uti ab Adamico fœdere distinguitur, salus animarum quæri

Religionis Judaicæ indoles.

non debuit, nec obtineri potuit.

Religio Judaica Reipublicæ fuit innexa.

§. 35. Probè autem notandum est, publicam libertatem populi Israëlitici, ac Religionem ita invicem innexas fuisse, ut statim atque circa hanc Israëlitæ à divino fœdere discederent, & ad commentitios, aut extraneos cultus sese converterent, Deus quoque partem publicæ libertatis per hostes delibari passus sit; prout è libris *Judicum*, & Regum prolixè patet. Quin demùm cum idololatriæ modum non facerent, DEus eosdem in Babylonicam captivitatem complures per annos abstrahi permisit, ut tandem aliquando alieni ritus libido decederet. Qua castigatione etiam correcti Judæi, cum post captivitatem in terram fœderalem reverterentur, non ampliùs in idololatriam prolapsi leguntur. Mox per adventum Salvatoris expletum id fœdus ultrò expiravit. *Actor. XV. Gal. V, 2. 3 4. Ephes. II. 13. 14 15. Coloss. II. 20.* Cumque adeò Deus ex sua parte promissam terram, & institutam à se Rempublicam non ampliùs sartam tectam præstare teneretur, hæc quoque funditus destructa fuit. Unde obstinata Judæorum cæcitas manifesta

eſt, quod cum poſt captivitatem Babylonicam, & excidium Hieroſolymorum idololatriæ crimine ſe non ampliùs adſtrinxerint, haut eo ſeciùs Deus tot per ſecula Templum, & Religionem eorum non inſtauraverit; ad quod utique tenebatur, ſi fœdus cum eo populo adhuc perſiſtebat. *Deuter. XXX. tot.* Unde tam diuturni exilii, ac miſerrimi ſtatus, quo gens iſta tot per ſecula preſſa fuit, nulla alia ratio aſſignari poteſt, quam quia Salvatorem ex fœdere promiſſum, poſtquam à Deo exhibitus fuerat, ipſi per ſummam malitiam repudiarunt.

§. 36. Aſt poſtquam Salvator, fœderis cum Adamo poſt lapſum initi ſequeſter, in hoc mundo adparuit, & quod ſibi peragendum ſuſcepit curriculum abſolvit, fœdus iſthoc plenam perfectionem, & exſecutionem obtinuit, ac ſublato Abrahamitico, ac Moſaico tanquam temporariis, (vid. *Deut. XVIII, 15. ſeqq.*) per univerſum orbem vim ſuam inſigni cum ſplendore, ac majore cum gratiæ copia exſeruit. Quod fœdus ex eo tempore intuitu populi Judaici *novum* vocatur, quia priùs temporarium, cum iſto populo initum, tunc antiquatum fuit. Complementum novi fœderis Adamitici.

I 3

Quod constat conventione Dei Patris cum Filio.

§. 37. Constat autem fœdus illud, uti supra innuimus, *duplici* conventione; *una Dei Patris cum Filio; altera Filii tanquam Mediatoris, & Salvatoris cum hominibus.* Per priorem conventionem Filius tanquam Mediator sese pro humano genere interposuit, ac Deo Patre consentiente substituit se velut in Personam & vicem generis humani eo fine, ut pro ejusdem reatu per lapsum contracto, & omnibus inde subnatis peccatis divinæ justitiæ satisfaceret, istudque expiaret, ac gratiam Dei, justitiamque huic probatam, ac æternam salutem eidem adquireret: Simul hoc beneficium generi humano promulgaret, idque amplectentes peculiari vinculo sibi innecteret, inque eos regnum ad consummationem usque seculi exerceret. De ista conventione, ejusque capitibus passim in divinis literis insinuatur. *Esaia XLII. 1. 6. 7.* *Electus* à Deo dicitur, *ut jus inter gentes verè servari doceat; quem Deus dedit in fœdus populo*, &c. *XLIX. 6. 8. LV. 3. 4. 5. LIX. 21. Ezech. XXXIV. 23. 24. XXXVII. 24. seqq. Esaia LIII.* dicitur: DEUS *conjiciebat* in eum omnia nostra peccata; versu 4. dici-

tur, eum ista *sustulisse*, seu *in se recepisse*. *Malach. III.* 1. 2. 3. *Jer.* XXXI. 34. *Jes. LIV.* 9. 10. *LV.* 3. *Galat. IV.* 4. Deus dicitur *emisisse Filium suum factum ex muliere*: Et *Hebr. I.* 6. *induxisse* primogenitum in orbem terrarum. Et ipse Filius *Hebr. II.* 14. 19. *particeps* dicitur *factus carnis & sanguinis*, & *semen Abrahæ assumpsisse*. Sic *Rom. IV.* 25. Christus *traditus* dicitur *propter peccata nostra*: & *Rom. VIII.* 32. *Deus proprio Filio non pepercisse* dicitur, sed eum *pro nobis omnibus tradidisse*. Et tamen alibi ipse Filius dicitur *se tradidisse* pro nobis oblationem, & victimam. *Ephes. V.* 2. *Johan. X.* 17. 18. Pater me diligit, quia *ego pono* animam meam, ut iterum *sumam*. Nemo *tollit* eam à me, sed *ego pono* eam à meipso. Quæ omnia manifesto conventionem inter Deum Patrem & Filium indicant. Sic quod Filius se in locum generis humani substituerit, innuitur. 1. *Cor. III.* 23. *Vos estis Christi, Christus verò est Dei.* 1. *Corinth. VIII.* *Nobis unus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.* 1. *Cor. XI.* 3. *Caput Christi*

*est Deus. Joh. X. 29.* Pater *dedit* mihi oves meas. *Luc. I, 32. 33. Deus dedit Filio sedem Patris sui David, & regnabit super domum Jacob in aeternum, & regni ejus non erit finis. Add. 2. Cor V,* 18. 19. Fundamentum regni istius exprimitur, *Joh. XI, 51. quia JEsus moriturus erat pro gente.* De promulgatione ejus conventionis dicitur. *Joh. XII, 44. seqq. Qui credit in me, non credit in me* solùm, *sed* etiam *in eum, qui misit me. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Johann. XIII, 3. Norat JEsus, quod omnia ipsi dedisset Pater in manus, & quod à Deo exisset, & ad Deum iret. Johann. XIV, 2. Vado paraturus vobis locum in domo Patris mei. Vers. 6. Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Add. *Vers.* 9. 10. 11. 20. 31. *XV.* 1. *seqq. XVI.* 15. 28. *XVII.* 2. 3. *seqq.* 21. *seqq. Actor. II. 36. Deus fecit Dominum & Christum hunc, quem vos crucifixistis. IV. 28. Pilatus & Populi Israël convenerunt ad faciendum, quae

*cunque manus tua, & consilium tuum prius decreverant, ut fierent. Actor. XVII, 31. Deus judicaturus est orbem terrarum cum justitia per eum virum, per quem decreverat; fide præstita omnibus, cum excitarit illum à mortuis. Rom. V. 1. Justificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum JEsum Christum. 1 Cor. I, 30. Christus JEsus factus est nobis sapientia à Deo, justitiaque, & sanctificatio, & redemptio. 2. Corinth. V. 17 19. 21. Si quis in Christo est, nova creatura est. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata sua. Deus eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei per illum. Gal. I. 4. Christus dedit seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsenti seculo malo, juxta voluntatem Dei & Patris nostri.* Id est, ut eriperet nos à mundo, qui in maligno positus est, 1. *Joh.* V, 19. & propter malitiam suam iræ Dei & damnationi obnoxius est; tum ut eximeret nos à servitute concupiscentiarum seculi, ne regnet peccatum in mortali corpore, ut obediatur cupiditati ejus. *Rom.* VI, 11. *Galat.* III, 13. *Christus nos rede-*

*mit ab exsecratione legis factus pro nobis exsecratio.* Add. *IV. 4. 5. 7. Eph. I. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 20. seqq. II. 12. 13. 14. seqq. Coloss. I. 12. 13. 14. seqq. II. 10. seqq. Philip. II. 7. seqq. 1. Tim. I. 15. II. 5. 6.* ubi Christus μεσίτης, seu sequester & Mediator inter Deum & homines expressè dicitur. Ac *Hebr.* XII. 24. *Mediator novi fœderis nobilissimi sanguinis adspersione firmati. 2. Tim. I. 9. 10. Hebr. II. 6. seqq.* III. 6. Sic 1. *Tim.* I. 2. & passim Deus dicitur noster *Pater* ob creationem, & JEsus Christus *Dominus noster* ob regnum istud in nos. Quia scilicet lytro pro nobis soluto dirissima servitute nos liberavit, ut serviremus ipsi sine metu, adeoque cum atroci jugo suavissimum Christi jugum *Matth.* XI. 29. permutaremus, in sanctitate & justitia. *Luc.* I. 68. Sic l. 12. §. 7. D. *de capt. & postlim.* dicitur; *Si quis servum captum ab hostibus redemerit, protinus est redimentis. Grotius de Jure B.* & *P.* l. III. c. 9. §. 11. *Legibus Atticis primum, dein Romanis constitutum est, ut, qui redemptus est ab hostibus, redemptori serviat, donec pretium reddiderit.*

§. 38. Conventio autem inter

Salvatorem & homines *ex istius quidem parte* in hoc consistit, ut is sponsionis suæ beneficium omnibus offerat, collata simul virtute ad isthoc suscipiendum necessaria: per quod gratia Dei, seu cum Deo reconciliatio, justitia huic probata, ac æterna salus comparatur, ac jus civitatis in ipsius regno ac unio cum ipso obtinetur. Quæ omnia ex allegatis dictis abundè demonstrantur. *Ex parte* autem hominum requiritur, ut hi beneficium istud sincera, ac firma fiducia, seu fide amplectantur. Cum qua fide insolubili nexu conjunctum est serium & enixum pietatis ac Sanctimoniæ studium; cum eo fine *Filius Dei adparuerit, ut opera Diaboli destruat*, quorum præcipuum est peccatum, 1. *Johan.* III. 8. ac primævam sanctitatem instauret. *Jes.* XLIV. 5. *Luc.* I. 74. 75. *Coloss.* I, 27. Quod fœdus Salvatori duobus sacris ritibus seu Sacramentis adornare placuit.

& Salvatoris cum hominibus.

§. 39. Ad fœderis hujus indolem penitiùs intelligendam distinctius explicanda sunt tùm unum & alterum ejus velut *præsuppositum*, sine quo idem intelligi nequit; tùm ipsius fœderis ex utraque parte *conditiones*. Ad prio-

Id fœdus præsupponit mysterium SS. Trinitatis.

rem classem pertinet Articulus de Sacrosancta Trinitate, seu quod in unâ divinâ essentiâ tres personæ existant. Etsi enim de isto Mysterio protoplastis in statu innocentiæ quoque constitisse censendum sit, uti supra innuimus: tamen ad novi fœderis naturam intelligendam usque adeò necessaria fuit facta ejus cognitio, ut citra hanc istud planè subsistere nequeat. Cum enim Salvator verus Deus à Sacris Scripturis pronuntietur, & verò Deus cum Salvatore fœdus super reconciliando sibi genere humano iniverit; necessum est, plures una personas dari, quibus, & nomen, & res seu essentia veræ Deitatis competat. Quia autem quicquid notitiæ est de pluribus personis in una divina essentia, unicè è divinarum Scripturarum revelatione hauritur, ideo ei doctrinæ à Christianis hominibus febriculosa ratiocinia opponi non debent. Ac sufficere pio & cordato Christiano debet, quod personis, quæ Dei nomine insigniuntur, diversi characteres personales, diversæque actiones tribuantur, quæ in unam & eandem personam cadere nequeunt, v. g. generare & generari; mittere & mitti, unum

de altero testimonium præbere. Quanquam & insuper per appropriationem quandam Patri soleant tribui opera providentiæ & potentiæ; Filio opera consilii, & sapientiæ; Spiritui Sancto opera amoris erga genus humanum, utpote illuminatio, & sanctificatio nostra. Numerum autem personarum in divina essentia Scripturæ Sacræ præcisè ternario definiunt; ac Sacramentum initiationis, quo Christiani in numerum civium regni Christi referuntur, diserte in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti administrandum præscribitur: quæ formula absurda esset, si Spiritus Sanctus affectio duntaxat, & virtus divinæ essentiæ, non vera & distincta persona cum Patre, & Filio esset. Atque id ipsum etiam necessitatem credendi hunc Articulum innuit, & quod iste velut fundamentum Religioni Christianæ substernatur, quo negato isthæc tota corruat. Sicuti etiam quod *Johann.* V, 23. *qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui misit eum;* ad Spiritum Sanctum quoque adplicari potest, *Rom.* VIII. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, non est ejus,* 1. *Johan. II. Quisquis negat filium,*

*ne Patrem quidem habet.* Add. *1.Johan.* V.7. *seqq.* Quod si quis Filium, & Spiritum S. Patri inæqualem & inferiorem fingere velit, is eo ipso simplicitatem divinæ essentiæ negat, & hanc è partibus disparis naturæ, ac nobilitatis, ac velut Heterogeneis compositam arguit, eoq; ipso totam divinam essentiam evertit. Fingere autem Filium Dei esse è creaturarum numero, & per adoptionem in divinitatis consortium adscitum, non minùs supra rationem est, quam ejusdem essentiæ cum Patre eum esse. Eoque ut rationi humanæ, quæ ad talia non adsurgit, velificemur, haut necessum est, Mysterium S. S. Trinitatis, personarumque in eadem æqualitatem solicitare. Sed & cavendum est, ne id Mysterium planè destruamus, velut tres personæ sint tantùm tria distincta vocabula, respectu certorum beneficiorum humano generi præstitorum uni Deo imposita. Quo colore quidam cordatiores gentilium multitudinem deastrorum excusabant. Hautquidquam etiam concipiendæ sunt personæ S. S. Trinitatis ad modum personarum moralium, ex officio, aut statu resultantium, quarum etiam plures

in unum hominem cadere possunt. Prout *Cicero de Oratore* dicit: *tres personas unus sustineo, meam, adversarii, judicis.* Qua ratione etsi nihil ampliùs difficultatis foret, in eo Mysterio concipiendo: is tamen sensus locum heic habere non potest. Nam fieri nequit, ut unus & idem respectu sui sit pater & filius, seu ut unus & idem sit pater suus, & filius suus; mittens, & is qui mittitur; emittens & procedens. Sicuti & incongruum est aliquem pacisci cum seipso. Nam quod *Jobus* XXXI. 1. dicit: *fœdus inivi cum oculis meis;* Metaphorica locutione nihil aliud notat, quam sanctissimum & firmissimum propositum Ministerio oculorum ad peccatum non abutendi. Sic ergo qui Trinitatem negat, hoc ipso quicquid Mysteriosum, ac velut augustum, & venerabile in Religione Christiana est, evacuat; simul primariam personam fœderis, cui nostra salus innititur, rejicit, eoque totum fœdus subvertit.

§. 40. Dein ad fœdus hoc præcipuè necessarium est, nosse de ejus *Mediatore*; qui ab aliorum fœderum conciliatoribus & sequestribus, ipsoque Mose Judaici fœderis Ministro

De Mediatore novi fœderis.

quam maximè differt. Nam simplices sequestres non nisi paciscentium voluntatem hincinde communicant, & sæpè obstacula complanant, partesque ad mutuum consensum disponunt; aliquando & sponsionem suam interponunt, pacta servatum iri Sic & Moses nomine populi Israëlitici cum Deo non paciscebatur, aut personam populi apud Deum sustinebat; sed simplicem agebat interpretem divinæ voluntatis, quam à Deo perceptam populo exponebat, qui deinde non Mosi, sed Deo sese obligabat; ac violatis fœderis legibus non Mosi fidem fallebat, sed Deo. Ast longè sublimioris indolis Mediator est Salvator mundi, qui cum Deo pactum inivit de expiando genere humano, ac eo respectu ejus universi personam seu vicem suscipiendo; ac inde promulgata sua doctrina homines in seipso fiduciam collocare jussit, ita ut divini fœderis fiamus participes, dum Salvatorem fide amplectimur, perque hanc cum ipso unimur. Unde & nos, nostraque opera Deo non aliter, quam in Salvatore accepta sunt; & qui in eundem haut credit, salutis expers extra fœdus cum Deo, & velut sine Deo agit.

§. 41.

§. 41. Circa Mediatorem hunc tenendum eſt, quod is ſit *verus DEus*, & ſecunda numero perſona S. S. Trinitatis: quod idem & *verus homo* ſit; & quod idem, qui DEus & homo eſt, *una* duntaxat ſit *perſona*. Mediatorem novi fœderis eſſe Deum, evincunt infinita S. Scripturæ loca, quæ id nomen in proprio ſenſu ei tribuunt, ac talia opera, quæ non niſi in verum Deum cadere poſſunt. Quod & ipſa fœderis indoles requirit, cum nulla creatura ejus poſſit eſſe dignationis, ut perſonam totius humani generis repræſentare poſſit cum tam nobili effectu, qui creationi æquiparari poſſit. *Pſalm.* XLIX. 8. 9. Atque idem falſo minor, aut inferior quoad eſſentiam DEO Patre fingitur; cum non obſcurè contradictionem involvat, aliquem eſſe verum Deum, & tamen minorem aut inferiorem quoad eſſentiam eſſe DEO Patre, qui è conſenſu omnium verus Deus eſt. Sicuti & impoſſibile & contradictorium eſt, aliquid, quod poſterius tempore vero Deo exiſtere cœpit, in veri Dei eſſentiam creatione, adoptione, aut quovis modo provehi. Dicta autem S. Scripturæ, quæ Filio inferiorem con-

Is eſt Deus.

ditionem, quam Patri attribuere videntur, ad eam conditionem ſpectant, ad quam is ſeipſum ex fœdere, ſuſcepto Mediatoris officio, redegit. Sic v. g. mandatarius mandante intuitu contractus minor habetur, quatenus is exſecutionem communis beneplaciti ſuſcepit; etſi aliàs extra rationem ejus contractus paris conditionis eſſe poſſit.

Et homo. § 42. Quod autem Salvator idem & verus homo ſit, pauci olim negaverunt, & hodiè puto nemo negat, qui Chriſtianus audire vult. Oportebat quippe etiam hominem eſſe, qui vices totius humani generis ſubire, ac pro eo juſtitiæ divinæ ſatisfacere debebat, ſacrificio generis humani expiatorio in corpore ſuo in celeberrimæ civitatis oculis exhibito. Qui & idem in converſatione humana id Myſterium ipſe promulgavit, quo de iſto fœdere omnibus conſtaret. Veritati autem humanæ naturæ nihil inde detrahi, quod abſque acceſſione viri à matre virgine conceptus ſit, forte etiam è principiis Phyſicis de generatione hominis oſtendi poteſt. Saltem nihil facilius creatori, qui præſentem generationis ordinem conſtituit,

quam virilem operam extraordinario motu in sanguine virginis excitato supplere. Similis autem fuit Salvator aliis hominibus per omnia, excepto peccato, &, qui idem comitantur, effectibus. Nam mortem subiit, quæ *stipendium peccati* dicitur, non velut provenientem ex vi peccati proprii, in ipso hærentis, sed velut præstationem fœderalem ad expiationem generis humani; utque adeo mors illa provenerit non ex intrinseca humanæ naturæ destructione, sed per externam violentiam ex ultronea submissione admissam. *Johann. X. 18. Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Insuper & id Salvator præ omnibus hominibus habuit eximium, quod tanquam homo nunquam peculiari subsistentia, à subsistentia τȣ λόγȣ distincta, extitit, sed semper unam & eandem personam cum secunda persona S. S. Trinitatis constituit.

§. 43. Modus autem ille, quo divina & humana natura in Salvatore conjunguntur, vocatur *unio personalis*, ut Deus Filius, & Sanctum illud, quod ex Maria virgine natum est, una & eadem persona fit. Adeoque ut non In una perso na.

alius ſit Salvator, qui ſit DEus, & alius, qui ſit homo ; ſed Deus & homo in una perſona Salvator ſit. *Coloſſ.* II. 9. Quia autem Deus Filius perfecta perſona in divinâ eſſentiâ extitit, antequam Maria virgo pareret hominem iſti perſonaliter unitum ; ideo Deus humanam naturam aſſumſiſſe, ſeu *verbum caro factum* dicitur; non autem viceverſa humana natura Deum Filium aſſumſiſſe, aut caro Verbum facta dicitur. Uti autem myſterium hoc Incarnationis Filii Dei omnem captum humanæ rationis longè exſuperat : ita non par eſt, ut ulterius noſtram curioſitatem eidem immergere audeamus, quàm qua ſacra Scriptura nos manu ducit, & ad intelligendum Salvatoris officium ſufficere poteſt. Cum enim ob Mediatoris officium obeundum ea unio Dei Filii cum humana natura facta ſit, ut Salvatoris officium obiretur à perſona, quæ eadem Deus & homo eſſet : inde ad rectè intelligendos, & interpretandos effectus, & conſectaria unionis perſonalis ſemper ad ejusdem cauſam finalem reſpiciendum eſt. Quæ ad hanc nihil facere videntur, iis importunè rimandis eſt ſuperſedendum.

§. 44 Ut igitur arctiſſima conjunctio Dei & hominis in una perſona exprimatur, concreta naturarum de ſe invicem reciprocè prædicantur. Cum enim *unus ſit Dominus JEſus Chriſtus,* 1. *Corinth. VIII. 6. Unus Mediator Dei & hominum homo JEſus Chriſtus.* 1. *Timoth. II. 5.* Add. *Rom. V. 17,* æque dicitur Λόγος ſeu *Filius Dei factus eſt homo, Johan. I. 14.* quam Filius Virginis, ſeu *quod ex te naſcitur, vocatur, ſcu eſt Filius Dei. Luc. I. 35. Filius Dei, propter quem omnia, & per quem omnia, participavit carni & ſanguini, ſicut pueri participant iisdem, ut poſſet mori. Ebr. II. 10. 14. Tota plenitudo divinitatis habitat in Chriſto corporaliter. Coloſſ. II. 9. I. 29.* Ut eſſemus membra corporis ipſius, & ille eſſet caput noſtrum Myſticum, quod ſolus ac nudus homo repræſentare non poterat. *Epheſ.* V. 30. Scilicet Mediator inter Deum & hominem non poterat eſſe, niſi qui ita Deus & homo eſſet, ut unus & idem eſſet. Non prodeſſet iſte hominibus, ſi tantùm Deus eſſet: non ſufficeret ſuſtinendo Mediatoris officio, ſi tantùm homo eſſet. Huic autem fini non ſufficit quædam vocabulorum permuta-

Unionis perſonalis indoles.

tio, & reciprocatio; Sed illæ ipsæ reciprocæ enuntiationes in re ipsa fundantur, ac, quod reipsa in Salvatoris persona existit, exprimunt. Sed & quia unio ista omnem captum humanum superat, curiositati fræna non sunt laxanda, nec circa determinationem ejus Mysterii audacter aliquid est definiendum; quo facilè fieri potest, ut totum Mysterium evertatur. Unde omnes similitudines v. g de ferro ignito, de conjunctione animæ & corporis, cum grano salis sunt accipiendæ. Sic & vocabulum περιχώρησις, quo aliqui è Græcis in hac materiâ utuntur, non pressè concipiendum est velut mutua & æqualis permeatio, aut coëxtensio localis divinæ & humanæ naturæ, qualis emergit, quando v. g aqua, & vinum confunduntur Quæ ita crasse concepta nec divinæ naturæ congruit, cujus magnitudo per extensionem, qua pars extra partem posita intelligitur, hautquidquam est concipienda; & ipsam humanæ naturæ indolem destruit, si nempe ea per omne hujus universi spatium extensa statuatur. Sic qui ejusmodi heic conjunctionem comminisci velit, qua natura humana planè

in divinam mutaretur, non obſcurè contradictorium quid fingeret, & ſimul Mediatorem deſtrueret, qui ſolus Deus eſſe non debuit. Nec minùs conjunctio naturalis, qualis eſt inter animam & corpus, indolem Mediatoris deſtruit, quod iſta conjunctio naturalis ſit neceſſitatis, conjunctio autem duarum naturarum in Chriſto facta ſit prævio fœdere. Sic & ejusmodi conjunctio, qua homo maneat nudus homo, & Deus nudus Deus, itidem indolem Mediatoris deſtruit, cum hoc modo vinculum reconciliationis noſtræ cum Deo tolleretur.

Ejus conſectarium.

§. 45. Unionis porrò hujus perſonalis conſequens eſt, ut de tota perſona Salvatoris, quæ per alterutrius naturæ concretum denominatur, proprietates utriusque naturæ prædicentur. Sic Judæi *Dominum gloriæ crucifixiſſe* dicuntur. *1. Corinth. II. 8. Filius hominis eſt Filius Dei vivi. Matth. XVI. 13. 16. Verbum vitæ, quod fuit ab initio, hoc vidimus, hoc contrectavimus. 1. Joh. I. 1. 2. JEſus eſt prior Abrahamo. Joh. VIII. 58. Jeſus eſt filius Davidis. Matth. XXII. 42. Deus miſit Filium ſuum, factum ex muliere. Gal. IV. 4. Deus adquiſivit Eccleſiam*

*suo sanguine. Actor.* XX. 20 Nec minùs id ex unione personali, & indole Mediatoris fluit, ut toti personæ ex duabus naturis constanti tribuatur, quicquid utraque natura ad officium Mediatoris contulit. *Vnus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo JEsus Christus. 1. Timoth. II. 5. Christus tradidit seipsum pro Ecclesia. Ephes. V. 25.*

Quid humanæ naturæ ex hac unione accesserit.

§. 46. Denique uti humana in Christo natura ad omnes officii Mediatorii partes concurrit; aliàs enim non opus fuisset, ut Verbum caro fieret: ita & eadem participare debuit, ac reipsa participavit de illis attributis divinis, seu de illa èminentia, & perfectione divina, quæ ad explendum Mediatoris officium requirebatur; quod aliàs simplicis hominis efficacia ad tam nobiles effectus producendos non assurgat. Et quia inter Protestantes in Articulo de Persona Christi super idiomatum communicatione præcipuè controvertitur, judicaverim, eas lites maximam partem elidi posse, si intra isthanc simplicitatem subsistatur, nec curiositas ad ea porrigatur, quæ istud officium non tangunt, ac quatenus humana natura de his quo-

que attributis participet, audacter quid negetur, aut definiatur. Tum ut ſeponantur, ac in medio relinquantur phraſes ac enuntiationes, quæ divinis literis non continentur: cum utique hæ ſolæ iſtius Myſterii menſura ſint. Ubi & illud cordatis, divinarumque literarum peritis expendendum propono, absque tamen meo, aut doctrinæ in noſtris Eccleſiis receptæ præjudicio, an non regula illa antiquitùs recepta; *quicquid Filio Dei incarnato attributum, & collatum dicitur, id reſpectu humanæ naturæ factum intelligi*, quod divinæ naturæ tanquam perfectiſſimæ nulla acceſſio fieri queat; aliquam interpretationem ſalva orthodoxia admittere queat, quæ ad tollendas eas controverſias viam ſternat. Ei inſinuandæ hoc fundamentum ponimus. Uti totum redemptionis Myſterium ex conventione Dei Patris cum Deo Filio, mediationem in ſe ſuſcipiente, promanavit: ita & eminentiam illam, dignitatem, atque attributa, quæ officium Mediatorium comitantur, itidem ex pacto iſto divino deſignata fuiſſe. Unde nihil repugnare videri, quo minùs Chriſto etiam ut Deo per peculiarem

aliquam appropriationem & œconomiam attributa sit ejusmodi perfectio divinæ essentiæ, quam is ab æterno habuit, respectu officii Mediatorii in se suscepti, ut tamen in ejus participationem & communionem humana natura utique veniat: utque adeo Christus ista, quæ jam antea tanquam Deus habebat, ex commissione & conventione certo modo & quasi peculiariter, qua Servator mundi obtineat, quæ eadem humanæ quoque naturæ, antea ea non habenti, propriè data & communicata sunt. Si fas est, divina humanis assimilare, ea res hoc modo concipi possit. Ponamus tres Principes, imperium indivisim gerentes. Eorum subjecti rebellionem induunt. Hos ad obsequium reducendos unus eorum cum consensu reliquorum in se suscipit ea lege, ut qui gratiæ ab ipso promulgandæ se subjecerint, peculiare ipsi regnum constituant, ac peculiari nomine eidem subjecti fiant. Hujus peculiaris Regni terminus ubi absolutus fuerit, is quoq; functionem, quam hactenus gesserat, exuit. Sic si inter tres ejusmodi Principes unus bellum gerendum suscipiat, is utique jus belli velut partem summi imperii

una cum Collegis habuit; & tamen quatenus ex conventione id exercendum ipsi soli est assignatum, non absurdè dicitur, potestatem belli administrandi peculiari modo in istum esse collatum. Ita quanquam Deus Filius ab æterno omnibus divinitatis perfectionibus gavisus fuerit, ut nihil eidem accedere potuerit; tamen cum idem ex pacto Mediatoris officium sit sortitus, ut ex genere humano per ipsum redimendo peculiare sibi Regnum compararet, haut absurdè dicetur, ipsi etiam, qua Deo, quæ ad id Regnum spectant, collata, peculiari quodam proprietatis modo à Patre & Spiritu Sancto exercenda; ut tamen humana natura ab istorum omnium participatione nequaquam sit excludenda. Unde Regnum illud, quod Deus nascendo ex Maria Virgine dedisse dicitur *Luc.* I. 32. 33. non est propriè id imperium, quod Filio Dei ut Deo in hoc universum, &, qui ejus pars sunt, homines per divinam essentiam & jure creationis competit; sed est id imperium, quod peculiariter cum officio Mediatoris est conjunctum. Igitur id non solùm in Salvatorem ut hominem, sed etiam ut

Deum dicto jam modo collatum dici poterit. Quod Regnum tamen haut eo minùs dicitur *Regnum Dei & Christi. Ephes.* V. 5. Et in Oratione Dominica precamur; *Pater* noster, adveniat Regnum *tuum*. In quem sensum explicari quoque potest illud *Matth. XI. 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Unde statim sequitur; Ergo *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego refocillabo vos.* Add. *Matth.* XII. 18. ex *Jesai.* XLII. 1. *Matth.* XVII. 5. Sic *Matth.* XXVIII. 18. illa *potestas in cælo & terra*, quæ Christo Jesu data est, non est ea potestas, quæ è creatione promanat; sed peculiaris illa, quæ in ipsius Regno in cœlo juxta ac terra exercetur. Qua de causa immediate sequitur; *euntes ergo docete omnes gentes.* Add. *Matth.* IX. 6. XVI. 19. In eundem sensum explicari posse videtur *potestas judicandi*, qua utique Deus Filius etiam antè incarnationem jure creationis gavisus est. *Genes.* XVIII. 25. Et tamen *Johan.* V. 22. 27. dicitur: *Pater non judicat quenquam; sed omne judicium dedit Filio. Et potestatem dedit ei judicandi; quia Filius hominis est.* Quæ ultima

verba non id ſolum inferunt, Chriſto ut eſt Filius hominis poteſtatem judicandi datam; ſed etiam innuitur, Filio Dei poteſtatem judicandi à Patre attributam, quatenus is aſſumpta humana natura officium Mediatoris & Salvatoris ſuſcepit, per quod idem Regnum ſibi ex genere humano conſtituit, hujus Regni ultimum complementum erit extremum judicium. Cujus & judicii norma non erit lex, ſed Evangelium à Salvatore annunciatum *Johann.* III. 18. XVI. 9. *Actor.* XVII. 31. Et bona opera, quæ in extremo judicio allegabuntur, non ſunt opera legalia, ſed fructus fidei in Chriſtum. *Matth.* XXV. 35. *dediſtis mihi manducare in pauperibus*; i. e. mei intuitu pauperibus benefeciſtis. Add. 2. *Corinth.* V. 10. Sic & *Pater Filio major* dici videtur. *Johann.* XIV. 28. non ſolùm reſpectu humanæ naturæ, quam Filius aſſumpſit; ſed etiam ex indole conventionis, quia qui ex pacto aliquid alteri, cætera æquali, ex ſequendum committit, is hujus conventionis intuitu prærogativæ quid habere intelligitur præ eo, cui quid committitur. Add. *Joh.* V. 19. 20. 21. *ſeqq.* 30. 43. VI. 27. 38. 39. 57. VII. 16.

17. 18. 28. 29. 1. *Corinth.* XV. 27. 28. Sic & Christus post consummationem seculi officio Mediatorio, Regnoque, & adjuncta huic potestate pactitia sese iterùm exuet. Ac in eum sensum explicandus videtur difficillimus locus. 1. *Corinth.* XV. 24 *seqq.* contra Socinianos: quod in fine seculi Christus fiduciarium & pactitium Regnum Patri sit resignaturus, ita ut fideles jam completi Deo quasi immediatè deinceps sint subfuturi, nullius ampliùs Mediatoris indigi. Unde *Filius* tunc dicitur *subjiciendus ei, qui illi subjecit omnia:* non quod tunc Filius Patri inæqualis sit futurus, sed quia Regnum suum immediatè Patri subjiciet, deposito Mediatoris officio, &, quod ei conjunctum erat imperio. Sicut ubi è collegio, æqualibus collegis constante, uni exercitus regendus committatur, quando confecto bello exercitus solvitur, sublata militari conditione ad simplex obsequium civile reditur, ac imperator exuto imperio fiduciario ad corpus collegii redit. Add. *Act.* III. 21. 1. *Corinth.* III. 23. Sic ex eodem fundamento non incommodè videtur explicari posse locus *Marci* XIII. 32. ubi Filius quoque tempus & ho-

ram extremi diei ignorare dicitur; quod nempè ad officium Mediatorium, cujus pars & propheticum est, non pertineat hominibus diem & horam extremi adventus sui ad judicium revelare, quod finem Regno Mediatoris impositurum est: cum id nosse hominibus ad salutem suam nihil interſit, uti sequentia ostendunt. Quin hominibus utile sit hoc ignorare, ut semper vigilent. Add. *Act.* I. 7. Porrò Majestas illa, quæ Salvatori ex officio suo competiit, & in cujus partem etiam humana natura venit, aliquandiu occultanda, ejusque splendor tantisper exuendus fuit, ut certæ præstationes officii Mediatorii exerceri possent; quibus absolutis illa Majestas plenè effulsit. Unde JEsu Christo ob officium Mediatorium nomen eminentissimum, ac omnibus venerabile, quod is sit *Dominus justitia nostra*, Jes. XLV. 24. datum fuit. Cui nihilominus aliquandiu schema servi, & nudi hominis gerendum fuit, quod actiones quædam officii mediatorii obiri non potuissent, si is majestatem suam divinam velut spolium in triumpho circumgestasset. *Philip.* II. 6. add. *Ephes.* I. 10. IV. 9. 10. Sic &

cum ad officium Mediatoris, Regisque requiratur, ut à Regno ſuo non ſit ſeparatus aut divulſus, idcirco idem dum viſibilem inter homines converſationem depoſitum it, confirmat, ſe ſuis adfore ad finem usque ſeculi. *Matth*, XXVIII. 20. XVII. 20. *Marc*. XVI. 20. Quæ dicta de toto Chriſto, non de ſolâ divinâ natura, in qua omnes homines, ſunt, vivunt, & moventur. *Act*. XVII. 28. exaudienda ſunt. Nam ſanè arctior, gratioſior, ac efficacior eſt iſte præſentiæ modus, quo Chriſtus DEus & homo Eccleſiæ ac fidelibus ſuis adeſt, quàm communis illa Numinis præſentia, qua hoc univerſum ſuſtentatur. Porro *Johann*. VI. 52. *Caro Chriſti vivifica* dicitur, quia ad officium mediatoris, qui ſimul victima expiatoria eſſe debebat, pertinet de ſua carne fidelibus dare, ut vitam accipiant. Denique cum Chriſtus non tantùm ut Deus, ſed & ut homo Mediator & Salvator noſter ſit, *cultus adorationis* eidem ſecundum humanam quoque naturam debetur, in unione cum natura divina conſideratam. Nam extra conſiderationem ejus conjunctionis non adparet caſus, quo de adoratione huma-

humanæ naturæ separatim & abstractivè consideratæ quæri possit: cum illa Christi corpora, quæ Missifices è pane se conficere jactant, à nobis haut agnoscantur. *Johann. V. 23. Phil. II. 10.* Intra hos ergò limites si subsistatur, multis disceptationibus inanibus supersedere posse videmur; quæ cum neque ad mediatorium officium faciant, nec divinæ literæ de iis expressè significent, in medio potius istas relinquere, ac in neutram partem quid definire decet. Sic frustra quæritur, num potentia creandi cœlum & terram humanæ in Christo naturæ sit communicata; cum eo fine mediationis negotium non sit institutum. Sic quid refert inquirere, num Christus secundum humanam naturam adsit v. g. omnibus stellis, aut quibusvis plantis, lapidibus, aliisve creaturis, aut, quam quæstionem aliqui sat quidem inficere ac profane movent, in cantharo? Nam & Sacra Scriptura de talibus silet, & istiusmodi præsentia ad redemtionem generis humani haut influit. Neque ut præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra Eucharistia adstruamus, ista quoque asserere necessum

est. Nam dum natura humana in personam τȣ̃ λόγȣ adſumpta eſt, in longè ſublimiorem conditionem evecta fuit, quam ut ea vulgaribus qualitatibus humani corporis menſuranda ſit, aut ut non alio modo præſentiam ſuam promiſſam exhibere poſſit, quam quæ in ordinaria corpora humana cadit. Nam fides noſtra in hoc Articulo non nititur monſtroſa aliqua extenſione; quæ nobis per injuriam affingitur: Sed quia credimus, Chriſto facilè eſſe viam invenire, qua promiſſa ſua repræſentet; Et quia humana Chriſti natura in unitatem perſonæ aſſumpta eſt à Deo Filio, cui omnipræſentiam divinæ literæ tribuunt; is etiam poterit ſuæ carnis præſentiam particularem modo ſupra noſtros ſenſus poſito præſtare.

Fœdus hoc minus propriè Teſtamentum dicitur.

§. 47. Antequam autem ad explicandas conditiones hujus fœderis accedamus, paucis monendum eſt, cum illud paſſim toto Veteri ac Novo inſtrumento per vocabulum *berith*, & διαθήκην exprimatur, quod fœderis tanquam ſolenniſſimæ conventionis ſignificationem habet; in ſolo loco *Hebr. IX. 16. 17. 18.* quantùm ego memini, id vocabulum διαθήκης Te-

ſtamenti, ſeu ultimæ voluntatis ſignificationem obtinére. Nam *Galat.* III. 15. non neceſſum eſt, ut vocabulum *διαθήκης* per Teſtamentum vertatur; cum etiam ſolenne pactum audire poſſit, quod ritè perfectum mutationi non eſt obnoxium. Haut eo minus Vulgata Verſio, quod in Veteri Inſtrumento *fœdus* vocatur, in Novo ſemper ferè *Teſtamentum* nuncupat; quam etiam Lutherus in Teutonica verſione ſecutus eſt; cum tamen ſenſus longè clarior futurus fuiſſe videatur, retento fœderis vocabulo. Sanè uti ex elementis juris cuilibet conſtat, inter fœdus & Teſtamentum ingens diſcrimen eſt; cum hoc ſit actus *μονόπλευρος*, illud *δίπλευρος*, ſeu ad condendum Teſtamentum unius voluntas ſufficiat, ad fœdus ineundum duarum voluntatum concurſus requiratur. Fœdus quoque inter duos exiſtentes ſubſiſtit, & alterutro mortuo expirat: Teſtamentum autem non valet, niſi mortem obierit, qui id fecit. In Teſtamento bonum, circa quod diſponitur, tunc demum in alterum tranſit, quando teſtatoris dominium per mortem deſiit; in fœdere autem inter utrinque vivos bona

conventa communicantur. Si quis Teſtamentum repudiet, ac non adeat, teſtatori non videtur injuriam facere, idque impunè habet. Sed à fœdere altera pars citra injuriam reſilire non poteſt. Atque iſthæc, & fortè plura alia, quæ in Teſtamentum cadunt, in id vinculum, quod Deus cum hominibus iniit, adplicari non poſſunt. Sic & in antiquo, quod vocant, Teſtamento teſtator ſanè mortuus non eſt. Nam quæ mors ibi intervenit, agnoſcente ipſa Epiſtola ad Hebræos, non teſtatoris fuit, ſed taurorum & hircorum, quæ velut victimæ firmando fœderi acceſſerunt. Igitur dicto loco ad Hebræos Paulus non ad ἀκρίβειαν diſciplinæ juris loquitur, ſed laxiore vocis ſignificatione ludit, ac illud fœdus Dei cum hominibus in eo tertio cum Teſtamento comparat, quod uti in hoc mors teſtatoris intervenit, ac bona in hæredem devolvuntur ex gratioſa teſtatoris voluntate citra æquivalentem penſationem in hunc refuſam: ita & Mediator fœderis Chriſtus morte ſua nobis bona per fœdus promiſſa adquiſivit, citra noſtram æquivalentem præſtationem. Ac uti mors teſtatoris ſingularem Te-

ſtamento ſanctimoniam conciliat; ita & per mortem Salvatoris fœdus iſtud longè redditum fuit auguſtiſſimum. Pariter & ſe res habet cum vocabulo *hæredis* & *hæreditatis*, quod in hac materia frequenter adhibetur, ſed minus propriè, ac eo duntaxat reſpectu, quod uti à Patre ad liberos patrimonium titulo hæreditatis devolvitur: ita & ſalus noſtra à Patre provenit, non noſtro meritò, ſed per Filium, cujus *cohæredes*, adeoque & ipſi Filii Dei (*Exod.* IV. 22.) dicimur, id eſt, participes ejus gloriæ, ad quam is per mortem ſuam intravit. Aliàs hæres non fruitur bonis teſtatoris, niſi ubi hic eorum dominium per mortem amiſerit: Etſi κληρονομία non præcisè notat hæreditatem, ſed quicquid ſorte, aut ejusmodi gratioſa aſſignatione alicui obvenit; uti terra Canaan inter tribus Iſraëlis ſorte dividebatur. *Pſalm.* XVI. 6.

Conditiones fœderis ex parte Salvatoris.

§. 48. Conditiones porrò, ſeu præſtationes fœderis ex parte Mediatoris, ſeu Salvatoris, quas ex conventione cum Deo Patre à ſe repræſentandas in uſum humani generis ſuſcepit, nunc preſſiùs expendendæ ſunt. De quibus ipſe *Johan.* IV.

34. *Meus cibus est, ut faciam, quod vult is, qui misit me, & perficiam opus ejus.* Earum summa huc redit, quod is peccata generis humani in se suscepit, eaque expiavit, ac pro iisdem justitiæ divinæ satisfecit eo cum effectu, ut, qui in ipsum credunt, seu in ejusdem merito & satisfactione omnem suam fiduciam reponunt, & ejus intuitu gratiam Dei quærunt, peccatorum remissionem, solidam, & coram tribunali divino subsistentem justitiam, cum aliis beneficiis, quæ cum Deo reconciliatos comitantur, & demùm vitam æternam consequantur. Quam in rem luculentissima in divinis literis testimonia extant. *Jesaiæ* LIII. 4. 5. 11. *Verè languores nostros sustulit. Nos reputavimus eum percussum & humiliatum à Deo, qui tamen dilectus Deo erat servus. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Et posuit Dominus in istum iniquitatem omnium nostrum. In scientia sua servus meus justificabit multos. Matth. I. 21. JEsus salvum faciet populum suum à peccatis suis. Matth. XX. 28. Filius hominis*

*dat animam suam redemptionem pro multis. Act. IV. 12. Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ubi non opus est, ut inquiramus, an non Deus aliud remedium servandis hominibus lapsis investigare potuerit: sed sufficit, quod non alia via, aut alio modo eos salvare voluerit, quam hoc, qui sine dubio justitiæ & misericordiæ, sapientiæque ipsius visus fuit maximè accommodus; etsi ejusmodi necessitatem per nostram rationem perspicere nequeamus. Add. *Johan. I. 12. 13. 29. III. 16. VI. 33. 35. 51. 53. 54. 55. 56. XII. 32. Luc. I. 77. II. 30. 31. 32. IX. 56. Rom. III. 24. 25. IV. 25. VIII. 32. 34. 2. Corinth. V. 14. 21. Coloss. I. 12. 13. 14. Tit. II. 14. Hebr. II. 9. IX. 14. X. 5. 10. 1. Joh. I. 7.* Istæ præstationes vulgò *officii sacerdotalis* vocabulo veniunt. Etsi aliàs ingens discrimen inter vulgares sacerdotes, & Christum sit, qui seipsum pro aliis obtulit, cum isti victimas pecoribus constantes & pro se & pro aliis obtulerint. *Hebr. II. 17. VII. 27.* Præterquam quod Sacerdotis officium longè angustioribus finibus circumscribi-

tur, quàm Mediatoris, & expromissoris munus, quod Christus in se suscepit. Ei officio conjunctum est, ut idem homines de voluntate Dei, suisque beneficiis edoceat, quod *Propheticum officium* vocant; Conf. *Exod.* VII. 1. 2. 7. *Johan.* X. 38 ac ut peculiare Regnum ex iis constituat, qui fœdus istud susceperint, quos recturus, ac protecturus; ac demùm in extremo judicio adprobatos in æternum gloriæ Regnum translaturus est; id quod *officium Regium* vocari suevit.

Ejus fœderis promulgatio.

§. 49. Ast ut homines ad isthoc fœdus accedere, ac bonitate Dei per id ipsis oblatâ re ipsâ gaudere possint, de quo alias naturali hominis rationi haut constat; necessum fuit, ut id hominibus divinitus promulgaretur, atque iidem ad hoc suscipiendum, ejusdemque beneficiis fruendum invitarentur. Nam primo evolutus fœdere homo ad Deum revertendi fiduciam, aut boni quid ab eo obtinendi spem concipere, aut ad eundem se convertendi initium facere non potuit, nisi divina gratia præverteret. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt; quomodo autem credent ei, de quo non audierunt? quomodo*

*autem audient absque prædicante? Rom.* X. 14. Itaque ea promulgatio ſtatim poſt lapſum in Paradiſo ab ipſo Deo facta eſt, ac poſt per pios Patriarchas repetita fuit, qui nomen Dei prædicaſſe dicuntur; ac peculiariter Noa *præco juſtitiæ* audit. 2. *Petr.* II. 5. Ut eadem ab his in omnium, qui tunc erant, hominum notitiam pervenire, ac ad poſteros ipſorum propagari poſſet. Et cum nihilominus illud apud multos in oblivionem abiiſſet, Deus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multifariam, ac multis modis locutus eſt Patribus per Prophetas: ſed extremis temporibus locutus eſt per ipſum Filium. Hebr. I. 1. 2. Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Johann. I. 18. Is quem miſit Deus, verba Dei loquitur, III. 34. Tempora ignorantiæ cum hactenus diſſimularit Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique reſipiſcant. Actor. XVII. 30.* Atque idem ut omnibus hominibus annunciarent, Chriſtus Apoſtolos in *univerſum orbem* miſit. *Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. 20.* Qui & eo mandato fideliter functi hominibus *omne Dei conſilium* annuntiarunt. *Actor.*

*XX.* 27. *Nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos. Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo.* 2. *Cor. V.* 20.

Summa præstandorum à parte hominum.

§. 50. Porrò summa eorum, quæ Christus & Apostoli hominibus annuntiarunt, ac unde prædicationis initium fecerunt, huc redit; *Resipiscite, seu facite pœnitentiam, & credite Evangelio. Matth. III.* 2. 10. *IV.* 17. 23. *Marc. I.* 14. 15. *Luc. III.* 3. 4. 16. *IV.* 18. *XXIV.* 46. 47. Add. *Actor. II.* 22. 32. 36. 37. *seqq. III.* 13. *seqq.* 19. 26. *XIII.* 17. 39. *XVI.* 30. *seqq.* Quia autem initio ea prædicatio dirigebatur ad adultos, quorum & mens ignorantia rerum divinarum obtenebrata, aut pravis circa divina opinionibus imbuta, simul vita vitiis corrupta; à *pœnitentiâ* initium faciendum erat. Quæ presse accepta ejuratione priorum errorum, *Act. XIX.* 19. ac dolore ob anteacta peccata, & proposito de hisce in futurum omittendis, constat. Per hanc quippe via ad salutariter recipiendam doctrinam Evangelii, ac fidem sternenda erat, & conclave velut scopis evertendum, in quod tam nobilis hospes introire debebat. Nam professio fœderis in

Pœnitentia præparat ad recipiendum fœdus.

Christo aliam vitam, alios mores postulat, quam quos Ethnici, & qui instinctum carnis, seu corruptionis ex peccato originali ortæ sequuntur. 1. *Corinth. VI. 9. 10. 11.* Expurgandum est *vetus fermentum*, ut possimus fieri *nova conspersio* 1. *Corinth. V. 7.* Qui in tenebris & umbra mortis sedent, iis oculi ad exorientem lucem non sunt occludendi. Add. *Ephes. II. 1. 12. IV. 17. 22. seqq. Colos. I. 13. II. 13. III. 7. 8.*

§. 51. Enimverò quia solus dolor ob admissa peccata horum remissionem atque expiationem non efficit, eoque ad receptionem in gratiosum Dei fœdus non sufficit, nec per se conversionem & emendationem vitæ producere potest: igitur primaria atque essentialis conditio fœderis hujus ex parte hominum, & qua posita actu homines ejus fœderis fiunt participes, est fides in JEsum Christum, seu ut quis fiduciam salutis suæ unice in eo collocet, ac per ejusdem meritum peccatorum remissionem, justitiamque Deo probatam, ac salutem æternam quærat. Ea fides conditio fœderis dicitur, non quod per eam velut præstationem æquipollentem benefi-

Per fidem fit ingressus in fœdus.

cia divini fœderis mereamur, & per eam quasi paria cum Deo, & Salvatore faciamus; sed quia fœdus ac divina beneficia per eandem acceptantur, cum invitis & reluctantibus ista impingere nolit Deus, neque id citra extinctionem moralitatis fieri possit. Unde & in hac materia vocabulum *gratis & gratiæ* tàm diligenter in divinis literis inculcatur. Quàm in rem luculentissimis dictis sacra Scriptura scatet. *Marc. XVI. Predicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Johan. I. 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credunt in nomen ipsius. Johan. III. 15. 16. 17. 18. 19. 36. Qui credit Filio habet vitam æternam: qui verò non credit Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. XX. 31. Actor. IV. 12. Huic JEsu omnes prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum. XIII. 38. 39. XV. 11. Rom. III. 23. 24. 25. 26. 28. IV. 5. 6. 7. 8. X. 4. 9. 10. Galat. II. 16. III. 26. 27. V. 6. Eph. II. 8. 9. Philip. III. 9. Hebr. IV. 16. 1. Joh. I. 7. II. 1. 2. III. 23.*

*V. 10. 11. 12. 13.* Atque ſolius hujus fidei effectus eſt *juſtificatio*, per quam homo à reatu peccati liber declaratur intuitu ſatisfactionis à Salvatore præſtitæ, quæ per fidem à Deo ita credenti imputatur, ac ſi ipſe eandem præſtitiſſet. Quo ipſo ſimul in filium Dei & hæredem æternæ vitæ adoptatur. *Tit. III. 7. Rom. V. 1. 9. Phil. III. 8. 9.* Juſtificatio.

§. 51. Ingreſſum in hocce fœdus Deo adornare placuit ſolenni *Baptiſmi* ritu, ſeu Sacramento. Quem ritum à Judæis velut mutuo ſumſit Salvator; qui & ipſi eos, quos è gentiliſmo proſelytos faciebant, ſeu in populi ſui conſortium ac beneficia, adeoque in membra Eccleſiæ juxta ac Reipublicæ Judaicæ recipiebant, aqua mergebant, & abluebant. Quo facto regenerati, ac novi homines ſeu novæ perſonæ morales cenſebantur. Videatur *Seldenus de Jure naturali & Gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum.* l, II, c. 4. Quem ritum Johannes Baptiſta primum, inde Salvator ad longè nobiliorem indolem, & uſum provexit. Ubi circa Baptiſmum Johannis obſervandum eſt. *Act.* XIX. 4. 5. *verſiculum* quintum cum quarto Sacramentum initiationis Baptiſmus.

connecti, & quintum non continere verba Evangelistæ Lucæ, continuantis narrationem Historicam, sed Pauli Apostoli, exponentis, qualis fuerit Baptismus Johannis, & quo fructu hic prædicarit. Sed versu demùm sexto Lucas narrare pergit, quid porrò circa discipulos illos actum sit. Hujus Sacramenti solennis, ac immutabilis forma est, ut fiat in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. In hoc quippe Articulo de tribus personis in unâ divinâ essentiâ residet fundamentum genuinæ Religionis Christianæ, quo subruto & hæc collabitur, & nil remanet, nisi accurata quædam Philosophia moralis. Si enim in divinâ essentiâ non sunt plures una personæ, non est Salvator, non est redemptio, non fides, non justificatio. Neque obstat, quod *Actor. II. 38. X. 48.* fideles *in nomine Domini JEsu baptizati dicuntur.* Non enim ibi negatur, solennem illam formulam fuisse adhibitam; sed vel autoritas & mandatum Christi, vel scopus baptismi exprimitur, insertio nempe in mysticum corpus Christi, & accessio in fœdus divinum per Salvatorem constitutum. De fructu baptismi testantur sequentia di-

cta. *Christus sanctificat Ecclesiam, mundatam lavacro aquæ per verbum. Ephes. V. 26. Baptismus salvos nos reddit, qui non est abjectio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum, per resurrectionem JEsu Christi. 1. Petr. III. 21. Omnes Filii Dei estis, per fidem in Christo JEsu. Nam quicunque baptizati estis, Christum induistis. Galat. III. 26. 27. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Marc. XVI. 16. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum Dei. Johan. III. 5. Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, ac renovationis Spiritus Sancti. Tit. III. 5. Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini. Actor. XXII. 16. Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus. 1. Corinth. XII. 13. Quicunque baptizati sumus in Christum JEsum, in mortem ejus baptizati sumus. Sepulti igitur sumus una cum illo per baptismum in mortem; ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom. VI. 3. 4. Per quem & circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine*

*manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi: Consepulti simul cum illo per Baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitavit illum ex mortuis. Coloss. II. 11. 12.* q. d. Sicut Christus sepultus valedixit vitæ mortali, sive mortalitatem prorsus deposuit, & è sepulcro surrexit ad vivendam vitam novam, nullique infirmitati, & corruptioni obnoxiam: ita qui baptizatur, cupiditatibus carnalibus, & studio peccandi renunciat; & è baptismo emergens, à morte, qua peccato mortuus erat, resurgit ad vitam novam, quam beneficio & ductu Spiritus sancti à peccatis alienam Deo vivat. Quæ omnia paucis hisce comprehendi posse videntur; uti ex parte Dei per baptismum confertur jus civitatis Christianæ, seu ut quis de beneficiis, per Christum adquisitis, participet; ita qui baptismum recipit, eo ipso profitetur, sese in merito Christi, cujus complementum erat ejus resurrectio, salutem suam expectare; simul promittit, se vitam acturum doctrinæ Salvatoris conformem, abdicatis prioris vitæ sordibus, & elisis, qui è pec-
cato

cato originis pullulare ſolent, pravis fructibus. Cæterùm quanquam ab iis, qui baptiſmum recipiunt, quando jam uſu rationis valent, requiritur, ut profeſſionem fidei ſuæ edant, utque adeò fidem jam habeant. *Docete* prius *gentes*, inde *baptizantes. Matth. XXVIII. 19. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Marc. XVI. 16. Qui libenter acceperunt Sermonem Petri baptizati ſunt. Act. II. 41. Cum credidiſſent Philippo Evangelizanti de regno Dei, deque nomine JEſu Chriſti, baptizabantur viri ſimul ac mulieres. VIII. 12. 37. IX. 11. 19.* Tamen uti in his per baptiſmum fides firmatur, ita per eundem apud infantes fides generatur; qui & ipſi *Chriſtum induunt*, id quod ſine fide intelligi nequit. Infantibus autem quoque baptiſmum eſſe conferendum colligitur ex *Geneſ. XVII. 7. 10.* collato cum *Col. II. 11. 12. Joh. III 5. 6. 7. 1. Cor. I. 16.*

§. 53. Iſthoc porrò fœdus qui actu ſubeunt, eo ipſo *regenerari*, ac velut novi homines fieri dicuntur. Quod regenerationis vocabulum à Judæis mutuo ſumptum eſt, apud quos & is, qui è gentili proſelytus juſtitiæ fiebat, regeneratus, & quaſi recens natus in- Ingreſſum in fœdus comitatur Regeneratio.

M

fans habebatur, perinde ac ſi ipſe ex nova aliqua matre naſceretur; quin tanquam nunc primum creatus, aut è cœlo lapſus omnino novus homo fieri cenſeretur, priſtina conſanguinitate non minùs ac gentilismo prorſus exutus. Qua de re videatur *Seldenus de jure Naturali & gentium.* lib. II. c. 4. etſi Judæi juſto longius ad ineptias abibant, ni dicere velimus, ab antiquis Judæis plurima aliter intellecta, quam verba cruda ſonant, ac ſenſum fortè ab eo, quem ipſi tenemus, parùm abfuiſſe. Cæterùm quæ Sacræ literæ de regeneratione tradiderunt, huc redeunt. Regenerationis neceſſitatem oſtendit Chriſtus *Johan.* III. 3. 6. *Niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt videre regnum Dei. Nam quod natum eſt ex carne,* id eſt, ex proſapia illa peccato infecta, *caro eſt,* adeoque ipſum quoque peccato contaminatum. *Caro* autem *& ſanguis regni Dei hæreditatem conſequi non poſſunt, neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit.* 1. *Corinth.* XV. 50. Ea caro, ſive ea natura vitioſa & corrupta, poſt lapſum protoplaſtorum in univerſam horum poſteritatem propagata, & cogitationibus,

libidinibusque pravis, ac legi divinæ dissentaneis fœcunda, ita occœcata est, ut Christum non norit, nec suis viribus investigare queat. *Matth.* XVI. 17. Secundum quam indolem homines *carnales* dicuntur, *venundati sub peccatum*, *Rom.* VII. 5 & *qui tantùm, quæ carnis* sunt *curant*, *Rom.* VIII. 5. & *secundum hominem* corruptum ambulant, *pleni æmulatione, contentione, & factionibus.* 1. *Cor.* III. 3. Addatur 2. *Petr.* II. 10. Cujus carnis opera enumerantur *Gal.* V. 10. 20. 21. qualia *qui agunt, regni Dei hæredes non erunt.* Ea corruptio etiam indigitatur nomine *hominis animalis*: ψυχικȣ̃, & *terreni*, χοϊκȣ̃, *qui non capit ea, quæ sunt Spiritus Dei, & quæ illi stultitia sunt.* 1. *Cor.* II. 14. XV. 48. *Eph.* IV. 17. 18. Frequentiùs autem eadem audit *vetus homo*, qui *per baptismum sepeliendus est in mortem; ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et qui vetus homo *cum Christo crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ut posthac non serviamus peccato. Rom.* VI. 4. 6. Cujus *vetus fermentum est expurgandum*, 1. *Cor.* V. 7. 8. Qui *de-*

*ponendus est juxta priorem conversationem; qui corrumpitur juxta concupiscentias erroris. Ephes. IV. 22.* Adde *Coloss. III. 9.* Quando igitur in fœdus cum Christo transimus, caro ista non quidem planè aboletur, sed tamen dominatus ejus destruitur, ut non ampliùs illi serviamus, nec secundum eam ambulemus, & quotidiè cum eadem luctemur, eamque crucifigere, & mortificare studeamus. Et contra à Deo denuò generari dicimur *ex immortali semine per Sermonem viventis Dei & manentis in æternum, 1. Petr, I. 23.* ac *nova creatura, Gal V. 15. novique homines* fieri dicimur, in quibus Deus *novum cor creat, Ps. LI, 12.* novumque Spiritum dat, ac *lapideum cor tollit*, & *carneum*, seu molle ac docile *cor dat*, Deo obsequi promptum, *Ezech. XXXVI. 26. 27.* cuique adeo lex Dei sit inscribenda. *Jer. XXXI. 33, 34.* Non quod nova, quædam substantia Physica in nobis creetur, sed quod nova indoles, nova inclinatio, novæque vires animæ nostræ divinitus indantur, atque excitentur, diversæ ab iis, quas è carnali nativitate habuimus. Quibus & nova ista indoles non superstruitur, velut

alicui fundamento, ut quod perfectionis carni desit, per hanc suppleatur: Sed *nova* planè *creatura* produci dicitur, 2. *Corinth.* V. 17. veteri isti indoli repugnans, ac ad ejusdem plenam extinctionem connixa. *Galat.* V. 17. Quæ & nova creatura, *novus homo* dicitur; quia præcipuam hominis partem intellectus ac voluntas absolvunt, reliqua hominis ferè instrumenti vicem subeunt. Per regenerationem autem intellectui nova lux accedit, ut qui antea *tenebræ* erant, *lux* fiant in *Domino*. *Ephes.* V. 8. Ac voluntati nova vita accedit, novaque inclinatio ad Deum tendens, quem antea refugiebat. *Rom.* VI. 13. Cum antea essemus *mortui per delicta*, Deus *convivificavit nos cum Christo*. *Ephes.* II. 1, 5. Et cum φρόνημα τῆς σαρκὸς, *affectus carnis inimicitia sit adversus Deum*, *Rom.* VIII. 7. jam regeniti *delectantur lege Dei secundum internum hominem*; *ac mente serviunt legi Dei*. *Rom.* VII. 22. 25. Qui *internus* dicitur, quod in ipsa anima sedem habeat, cum externi actus etiam ab Hypocritis simulari possint, & quia renatis reliqua cum cæteris hominibus communia sunt, & extus adparent;

regeneratio autem his propria sit, & quasi interiore recessu recondita. *Ephes.* III. 16. 2. *Corinth.* IV. 16. Unde & a Christo dicitur ; *Regnum Dei intra vos est.* *Luc.* XVII. 24. *Rom.* II. 28. 29. 1. *Petr.* II. 4. Huc etiam facit *Matth.* XV. 17. *seqq.* *Marc.* VII. 1. *seqq.* *Matth.* XXIII. 25. 26. 27. 28. Cui *externus homo* opponitur, qui quo magis corrumpitur, eo magis iste novus *in dies singulos renovatur.* 2. *Corinth.* IV. 16. *Ac corroboratur per Spiritum Dei.* *Ephes.* III. 16. Sic igitur per regenerationem homini confertur novus *status* seu nova conditio, ut cum antea essemus φύσει, *natura filii iræ*, & in quibus tanquam filiis incredulitatis ira *Dei manebat*; nunc simus *Filii Dei* *Johan.* I. 12. 13. *& adoptione filiorum jus reciperemus*, *Gal.* IV. 5. *dilecti in dilecto.* *Fiamus consortes divinæ naturæ.* 2. *Petr.* I. 4. Ut *inferamur in Christum vitem*, tanquam *palmites*, *ejusque virtute multum fructum feramus.* *Joh.* XV. 1. *seqq.* Sic ut non *nos*, sed *Christus in nobis vivat*; *Gal.* II. 20. ac non *nobis*, sed *Domino vivamus & moriamur.* *Rom.* XIV. 7. 8. *liberi à jure peccati & mortis*, *Rom.* VIII. 2. *manumissi à peccato*,

*servi Deo facti. Rom.* VI. 17. 22. Cum quo conjunctum est, ut quia *filii* sumus, etiam *hæredes* simus, & *cohæredes* Christi, seu *participes* ejusdem gloriæ futuri. *Gal.* IV. 7. *Rom.* VIII. 17. Ut non amplius simus *hospites* & *inquilini*, sed *concives sanctorum, ac domestici Dei, Ephes.* II. 19, quorum πολίτευμα seu *jus civitatis in cœlis* est, *Phil.* III. 20. ac in *Domo Dei*, ubi *mansiones nobis* paratæ sunt. *Johan.* XIV. 2. 3. Heic quippe μένουσαν πόλιν *manentem civitatem non habemus, sed futuram quærimus. Hebr.* XIII. 14. Per regenerationem denique novæ regenitis facultates, inclinationes, viresque inferuntur, ut intellectus eorum illuminetur, ac voluntas delectetur lege Dei, ut *renoventur Spiritu mentis suæ Ephes.* IV. 23. *ad agnitionem & imaginem ejus, qui condidit illum. Col.* III. 10. *Ut in novitate vitæ ambulent, posthac non serviant peccato, sed vivant Deo. Rom.* VI. 4. 6. 11. *Ut tanquam spirituales, quæ Spiritus sunt, curent*, ac *Spiritu facta corporis* seu carnis *mortificent. Rom.* VIII. 5. 13. *Ut convertantur à tenebris ad lucem à potestate Satanæ ad Deum. Actor.* XXVI. 18. *conditi ad bona opera. Ephes.* II. 10. ac

M 4

*fructus Spiritus* proferentes *in omni bonitate*, & *justitia* & *veritate. Eph. V. 9. Vt fortitudine corroborentur per Spiritum Dei in internum hominem Eph. III. 16. seqq. Vt assumpta panoplia Dei possint resistere in die mala, & omnibus peractis stare Ephes. VI. 13. Ut Spiritus auxilietur infirmitatibus nostris, ac intercedat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. VIII. 26. Ut fructificent Deo, & serviant per novitatem, Spiritus. Rom. VII. 4. 6. Ut clament Abba Pater. Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. Ut unum illud agant, ea quidem, quæ à tergo sunt obliviscentes, ad ea verò, quæ a fronte sunt, enitentes. Philip. II. 13. Ut lex Dei detur in corde eorum, & in mentibus eorum à Deo inscribatur. Hebr. VIII. 10. X. 16. Jer. XXXI. 33. Ut peccatum iis non dominetur. Rom. VI. 14.* Ut denique *corpus ipsorum Templum sit habitantis in ipsis Spiritus Sancti, quem à Deo habeant, & non sint ipsi sui juris. 1. Corinth. VI. 19.* Est autem illud circa regenerationem presse dictam observandum, quod illa, uti & justificatio velut in instante fiat, ac nuspiam de die in diem fieri, aut majus & minus recipere dicatur. Secus at-

que renovatio, & ſanctificatio, quæ ſubinde incrementa capere poteſt, ac debet. Ex hiſce omnibus autem id conſectarium deducitur, ſi quis Chriſtianus nomine audiat, nec tamen alio impulſu, ductuque regatur, quam vel carnalis ſuæ concupiſcentiæ, vel etiam naturalis ſuæ rationis, qualis etiam in Ethnicis reperitur, ac pro ſcopo actionum ſuarum non niſi jucundum, utile, aut decorum mundanum habet, illum vel nunquam fuiſſe regenitum, vel regeneratione iterùm excidiſſe. Nam revera regeniti altiore inſtinctu impelluntur, ac nobiliorem ſibi ſcopum præfixum habent.

§. 54. Cæterùm quanquam fœdus in Chriſto ſancitum in locum primævi fœderis, per protoplaſtos abrupti ſubiit; remanſit tamen ex hoc obligatio ad ſanctimoniam vitæ & morum, velut à natura humana divinitus aſſignata inſeparabilis. Quæ obligatio cum poſt lapſum homines ad damnationem pertraheret, quippe conſumpta implendi facultate, cum tamen juſtitia Dei eam exigere non deſineret, inanibus quoque reliquiis, & conatu qualicunque vitiis réſiſten-

De ſanctificatione velut neceſſario fructu juſtificationis & regenerationis.

di ob imperfectionem, & adhærentem labem: nunc per fœdus in Christo miseriæ hominum ita consultum fuit, ut & justitiæ divinæ rigorem suppleat satisfactio Salvatoris, ac per fidem & regenerationem novæ vires proveniant faciendi, ad quæ obligatio illa vocat, ac propter satisfactionem Salvatoris non imputentur ad damnationem, sed velut dissimulentur imperfectiones, lapsusque citra proæresin admissi, pravique motus ex originali labe provenientes, cujus malignam operationem in hac vita planè extinguere fidelibus non datur; quibus tamen omni studio reluctantur. Unde inter sanctimoniam primævam, si homines in statu innocentiæ perstitissent, & illam, quæ à regenitis præstatur, non exiguum discrimen est. Equidem norma utrinque seu lex est eadem, quoad summa capita, quæ dilectione Dei & proximi absolvuntur; nisi quod ob supervenientem humani generis miseriam lex dilectionis ad complures casus porrigenda fuit, qui in statum primævum non cadebant. Sicuti v. g. patientiæ, misericordiæ, beneficentiæ erga pauperes, & similibus virtu-

tibus locus non erat in ſtatu hominum, à quo omnis miſeria exulabat; cum nunc beneficentia erga pauperes pios, ſeu Chriſti fratres inſignem dilectionis partem faciat. Aſt primæva ſanctimonia ab ea, quam fideles præſtant, quantùm ad perfectionem, valdè differt. Primæva enim juſtitia, velut omnibus numeris perfecta, per ſe Deo ſeſe adprobabat. Aſt regenitorum ſanctimonia in ſe imperfecta, & contagio labis originalis maculata. *Rom.* VII. 14. *ſeqq.* Deo ob plenam Salvatoris ſatisfactionem grata eſt, ut *nulla condemnatio ſit his, qui ſunt in Chriſto JEſu, qui non juxta carnem verſantur, ſed juxta Spiritum. Rom.* VIII. 1. Unde cum aliàs etiam, qui in uno tantùm legem violarat, totius legis reus eſſet. *Deuter.* XXVII. 26. *Jac.* II. 10. ab ea maledictione Chriſtus nos liberavit. *Gal.* III. 10. 11. 12. 13. Sicuti & obedientia regenitorum non eſt ex legis coactione, quippe cui Chriſtus activè & paſſivè ſatisfecit, illique non amplius ſervi legis ſunt; ſed iidem è ſpontaneo Spiritu Deo filiale obſequium præſtant è viribus per regenerationem collatis. *Liberati ſumus à lege, mortui ei, in qua deti-*

*nebamur : ut serviamus per novitatem Spiritus, & non per vetustatem literæ, Rom. VII. 6. Et præbemus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, acceptam DEO, rationalem cultum nostrum. Rom. XII. 1. Ac renovati Spiritu mentis nostræ induimus novum hominem, qui juxta Deum conditus est per justitiam & sanctitatem veritatis.* Unde & Salvator noster non novus Legislator est habendus, sed legis impletor. *Matth. V. 17. 18.* ejus denique accuratissimus interpres ; quique adeo terrorem & maledictionem ejus sustulit, & sublimem ac spiritualem ejus indolem, ad puritatem animi cumprimis tendentem, quam Judæi ad externa ferè opera detorserant, luculenter explicavit. *Matt. V. 6.* Inde quoque est, quod sanctimonia vitæ & morum fœdus in Christo propriè tanquam primaria conditio non ingrediatur, sicuti in primævo fœdere ; sed duntaxat velut fructus, ac necessarium consequens justificationis, & regenerationis habeatur. Ut tamen ideo ejus necessitas haut sit remissior, cum is etiam finis sit redemptionis nostræ per Salvatorem præstitæ, *ut serviamus Deo in sanctitate, & justitia. Luc.*

*I. 74. 75. Ut simus Dei opus, conditi in Christo JEsu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambularemus. Ephes. II. 10. Coloss. I. 22. Tit. II. 14.* Imo ut in extremo judicio Salvator in sententia decretoria ad bona opera sit provocaturus, non tamen, velut non ex fide justificemur, sed quia bona opera incurrerunt in sensus, & ibi adfuturi, & testimonium laturi sint, in quos eadem exercita fuere. *Matth. XXV. 35. Rom. II. 6. Luc. XVI. 9. Gal. VI. 7. 8.* Unde & pœnitentiam agere, & credere in Christum, & studere sanctimoniæ vitæ, seu virtutibus, actionibus, atque operibus Christianâ vocatione dignis, ita invicem sunt innexa, ut unum absque altero consistere, & locum habere nequeat. Nam pœnitentia, ni accedat fides, ab desperationem ducit. Ac ludibrium est dicere, se fidem habere, ni antecedat pœnitentia, id est, si quis in prioribus vitiis volutari pergat. Ac fides, ni eam comitetur sanctimonia vitæ, est inanis ac temeraria persuasio, ac arbor putrida, & sine fructibus, quæ exscindetur & in ignem conjicietur. *Matth. VII. 19. seqq.* Bona opera autem, ni ex fide procedunt, Deo

*ponendus est juxta priorem conversationem; qui corrumpitur juxta concupiscentias erroris. Ephes. IV. 22.* Adde *Coloss. III. 9.* Quando igitur in fœdus cum Christo transimus, caro ista non quidem planè aboletur, sed tamen dominatus ejus destruitur, ut non amplius illi serviamus, nec secundum eam ambulemus, & quotidiè cum eadem luctemur, eamque crucifigere, & mortificare studeamus. Et contra à Deo denuò generari dicimur *ex immortali semine per Sermonem viventis Dei & manentis in æternum, 1. Petr. I. 23.* ac *nova creatura, Gal V. 15. novique homines* fieri dicimur, in quibus Deus *novum cor creat, Ps. LI, 12.* novumque Spiritum dat, ac *lapideum cor tollit*, & *carneum*, seu molle ac docile *cor dat*, Deo obsequi promptum, *Ezech. XXXVI. 26. 27.* cuique adeo lex Dei sit inscribenda. *Jer. XXXI. 33, 34.* Non quod nova, quædam substantia Physica in nobis creetur, sed quod nova indoles, nova inclinatio, novæque vires animæ nostræ divinitus indantur, atque excitentur, diversæ ab iis, quas è carnali nativitate habuimus. Quibus & nova ista indoles non superstruitur, velut

alicui fundamento, ut quod perfectionis carni desit, per hanc suppleatur: Sed *nova* planè *creatura* produci dicitur, 2. *Corinth.* V. 17. veteri isti indoli repugnans, ac ad ejusdem plenam extinctionem connixa. *Galat.* V. 17. Quæ & nova creatura, *novus homo* dicitur; quia præcipuam hominis partem intellectus ac voluntas absolvunt, reliqua hominis ferè instrumenti vicem subeunt. Per regenerationem autem intellectui nova lux accedit, ut qui antea *tenebræ* erant, *lux* fiant in *Domino. Ephes. V.* 8. Ac voluntati nova vita accedit, novaque inclinatio ad Deum tendens, quem antea refugiebat. *Rom. VI.* 13. Cum antea essemus *mortui per delicta*, Deus *convivificavit nos cum Christo. Ephes. II.* 1. 5. Et cum φρόνημα τῆς σαρκὸς, *affectus carnis inimicitia sit adversus Deum, Rom. VIII.* 7. jam regeniti *delectantur lege Dei secundum internum hominem; ac mente serviunt legi Dei. Rom. VII.* 22. 25. Qui *internus* dicitur, quod in ipsa anima sedem habeat, cum externi actus etiam ab Hypocritis simulari possint, & quia renatis reliqua cum cæteris hominibus communia sunt, & extus adparent;

regeneratio autem his propria sit, & quasi interiore recessu recondita. *Ephes.* III. 16. 2. *Corinth.* IV. 16. Unde & a Christo dicitur; *Regnum Dei intra vos est. Luc.* XVII. 24. *Rom.* II. 28. 29. 1. *Petr.* II, 4. Huc etiam facit *Matth.* XV. 17. *seqq. Marc.* VII. 1. *seqq. Matth.* XXIII. 25. 26. 27. 28. Cui *externus homo* opponitur, qui quo magis corrumpitur, eo magis iste novus *in dies singulos renovatur.* 2. *Corinth.* IV. 16 *Ac corroboratur per Spiritum Dei. Ephes.* III. 16. Sic igitur per regenerationem homini confertur novus *status* seu nova conditio, ut cum antea essemus φύσει, *natura filii iræ*, & in quibus tanquam filiis incredulitatis ira *Dei manebat*; nunc simus *Filii Dei Johan.* I, 12, 13, *& adoptione filiorum jus reciperemus*, *Gal.* IV. 5. *dilecti in dilecto. Fiamus consortes divinæ naturæ.* 2. *Petr.* I. 4. Ut *inseramur in Christum vitem*, tanquam *palmites*, *ejusque virtute multum fructum feramus. Joh.* XV. 1. *seqq.* Sic ut non *nos*, sed *Christus in nobis vivat*; *Gal.* II. 20. ac non *nobis*, sed *Domino vivamus & moriamur. Rom.* XIV. 7. 8. *liberi à jure peccati & mortis*, *Rom.* VIII. 2. *manumissi à peccato*,

*servi Deo facti. Rom.* VI. 17. 22. Cum quo conjunctum est, ut quia *filii* sumus, etiam *heredes* simus, & *coheredes* Christi, seu *participes* ejusdem gloriæ futuri. *Gal.* IV. 7. *Rom.* VIII. 17. Ut non amplius simus *hospites* & *inquilini*, sed *concives sanctorum, ac domestici Dei*, *Ephes.* II. 19, quorum πολίτευμα seu *jus civitatis in cœlis* est, *Phil.* III. 20. ac in *Domo Dei*, ubi *mansiones nobis* paratæ sunt. *Johan.* XIV. 2. 3. Heic quippe μένουσαν πόλιν *manentem civitatem non habemus, sed futuram quærimus. Hebr.* XIII. 14. Per regenerationem denique novæ regenitis facultates, inclinationes, viresque inferuntur, ut intellectus eorum illuminetur, ac voluntas delectetur lege Dei, ut *renoventur Spiritu mentis suæ Ephes.* IV. 23. *ad agnitionem & imaginem ejus, qui condidit illum. Col.* III. 10. *Ut in novitate vitæ ambulent, posthac non serviant peccato, sed vivant Deo. Rom.* VI. 4. 6. 11. *Ut tanquam spirituales, quæ Spiritus sunt, curent,* ac *Spiritu facta corporis* seu carnis *mortificent. Rom.* VIII. 5. 13. *Ut convertantur à tenebris ad lucem à potestate Satanæ ad Deum. Actor.* XXVI. 18. *conditi ad bona opera. Ephes.* II. 10. ac

*fructus Spiritus* proferentes *in omni bonitate*, & *justitia* & *veritate*. *Eph. V. 9. Ut fortitudine corroborentur per Spiritum Dei in internum hominem Eph. III. 16. seqq. Ut assumpta panoplia Dei possint resistere in die mala, & omnibus peractis stare Ephes. VI. 13. Ut Spiritus auxilietur infirmitatibus nostris, ac intercedat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. VIII. 26. Ut fructificent Deo, & serviant per novitatem, Spiritus. Rom. VII. 4. 6. Ut clament Abba Pater. Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. Ut unum illud agant, ea quidem, quæ à tergo sunt obliviscentes, ad ea verò, quæ a fronte sunt, enitentes. Philip. II. 13. Ut lex Dei detur in corde eorum, & in mentibus eorum à Deo inscribatur. Hebr. VIII. 10. X. 16. Jer. XXXI. 33. Ut peccatum iis non dominetur. Rom. VI. 14.* Ut denique *corpus ipsorum Templum sit habitantis in ipsis Spiritus Sancti, quem à Deo habeant, & non sint ipsi sui juris. 1. Corinth. VI. 19.* Est autem illud circa regenerationem pressè dictam observandum, quod illa, uti & justificatio velut in instante fiat, ac nuspiam de die in diem fieri, aut majus & minus recipere dicatur. Secus at-

que renovatio, & sanctificatio, quæ subinde incrementa capere potest, ac debet. Ex hisce omnibus autem id consectarium deducitur, si quis Christianus nomine audiat, nec tamen alio impulsu, ductuque regatur, quam vel carnalis suæ concupiscentiæ, vel etiam naturalis suæ rationis, qualis etiam in Ethnicis reperitur, ac pro scopo actionum suarum non nisi jucundum, utile, aut decorum mundanum habet, illum vel nunquam fuisse regenitum, vel regeneratione iterùm excidisse. Nam revera regeniti altiore instinctu impelluntur, ac nobiliorem sibi scopum præfixum habent.

*De sanctificatione velut necessario fructu justificationis & regenerationis.*

§. 54. Cæterùm quanquam fœdus in Christo sancitum in locum primævi fœderis, per protoplastos abrupti subiit; remansit tamen ex hoc obligatio ad sanctimoniam vitæ & morum, velut à natura humana divinitus assignata inseparabilis. Quæ obligatio cum post lapsum homines ad damnationem pertraheret, quippe consumpta implendi facultate, cum tamen justitia Dei eam exigere non desineret, inanibus quoque reliquiis, & conatu qualicunque vitiis resisten-

di' ob imperfectionem, & adhærentem labem: nunc per fœdus in Christo miseriæ hominum ita consultum fuit, ut & justitiæ divinæ rigorem suppleat satisfactio Salvatoris, ac per fidem & regenerationem novæ vires proveniant faciendi, ad quæ obligatio illa vocat, ac propter satisfactionem Salvatoris non imputentur ad damnationem, sed velut dissimulentur imperfectiones, lapsusque citra proæresin admissi, pravique motus ex originali labe provenientes, cujus malignam operationem in hac vita planè extinguere fidelibus non datur; quibus tamen omni studio reluctantur. Unde inter sanctimoniam primævam, si homines in statu innocentiæ perstitissent, & illam, quæ à regenitis præstatur, non exiguum discrimen est. Equidem norma utrinque seu lex est eadem, quoad summa capita, quæ dilectione Dei & proximi absolvuntur; nisi quod ob supervenientem humani generis miseriam lex dilectionis ad complures casus porrigenda fuit, qui in statum primævum non cadebant. Sicuti v. g. patientiæ, misericordiæ, beneficentiæ erga pauperes, & similibus virtu-

tibus locus non erat in statu hominum, à quo omnis miseria exulabat; cum nunc beneficentia erga pauperes pios, seu Christi fratres insignem dilectionis partem faciat. Ast primæva sanctimonia ab ea, quam fideles præstant, quantùm ad perfectionem, valdè differt. Primæva enim justitia, velut omnibus numeris perfecta, per se Deo sese adprobabat. Ast regenitorum sanctimonia in se imperfecta, & contagio labis originalis maculata. *Rom.* VII. 14. *seqq.* Deo ob plenam Salvatoris satisfactionem grata est, ut *nulla condemnatio sit his, qui sunt in Christo JEsu, qui non juxta carnem versantur, sed juxta Spiritum. Rom.* VIII. 1. Unde cum aliàs etiam, qui in uno tantùm legem violarat, totius legis reus esset. *Deuter.* XXVII. 26. *Jac.* II. 10. ab ea maledictione Christus nos liberavit. *Gal.* III. 10. 11. 12. 13. Sicuti & obedientia regenitorum non est ex legis coactione, quippe cui Christus activè & passivè satisfecit, illique non amplius servi legis sunt; sed iidem è spontaneo Spiritu Deo filiale obsequium præstant è viribus per regenerationem collatis. *Liberati sumus à lege, mortui ei, in qua deti-*

*I. 74. 75. Ut simus Dei opus, conditi in Christo JEsu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambularemus. Ephes. II. 10. Coloss. I. 22. Tit. II. 14.* Imo ut in extremo judicio Salvator in sententia decretoria ad bona opera sit provocaturus, non tamen, velut non ex fide justificemur, sed quia bona opera incurrerunt in sensus, & ibi adfuturi, & testimonium laturi sint, in quos eadem exercita fuere. *Matth. XXV. 35. Rom. II. 6. Luc. XVI. 9. Gal. VI. 7. 8.* Unde & pœnitentiam agere, & credere in Christum, & studere sanctimoniæ vitæ, seu virtutibus, actionibus, atque operibus Christianâ vocatione dignis, ita invicem sunt innexa, ut unum absque altero consistere, & locum habere nequeat. Nam pœnitentia, ni accedat fides, ab desperationem ducit. Ac ludibrium est dicere, se fidem habere, ni antecedat pœnitentia, id est, si quis in prioribus vitiis volutari pergat. Ac fides, ni eam comitetur sanctimonia vitæ, est inanis ac temeraria persuasio, ac arbor putrida, & sine fructibus, quæ exscindetur & in ignem conjicietur. *Matth. VII. 19. seqq.* Bona opera autem, ni ex fide procedunt, Deo

grata non ſunt, imo planè bona non ſunt. Sic ut valdè ratio fugiat eos Theologos, qui tantùm circa Theoriam Religionis Chriſtianæ ſunt ſoliciti, aut de fide in Chriſtum duntaxat inculcant, nulla ſanctimoniæ habita ratione. Nam uti vera *fides per charitatem eſt efficax, Gal.* V. 6. *ita fides, ſi opera non habuerit, mortua eſt per ſe. Jacob.* II. 17. Ac uti *Marc.* XVI. 16. *Joh.* III. 18. jam condemnatus pronuntiatur, qui non credit: ita non minus de iis, qui verbo fidem in Chriſtum profitentur, factis abnegant, dicitur, quod *Chriſtus eos non norit, Matth.* VII. 22. 23. VI. 20. *Epheſ.* V. 5. *Gal.* V. 19. 20. 21. *Apoc.* XXII. 14. 15. Ubi inter eos, qui *amant & faciunt mendacium* intelligi quoque poſſe judico ſacrificos, & Monachos, qui fabulis & fictis dogmatibus laicis, quos lectione divinarum literarum arcent, illudunt. Amant quippe mendacium, qui ex eo lucrum capit. Quid autem *facere* mendacium aut peccatum ſit, ſatis colligitur ex *Rom.* VII. 4. 5. 6. 15. 17. *ſeqq.* VIII. 1. 10. & *Johann.* III. 8. 9. 10. coll. cum c. II, 1. & I. 8. id eſt, ſtudio peccare, & quaſi licentiam peccati profiteri; non au-

tem peccatis imbecillitatis adhuc laborare. Denique uti ſupra de fide diximus, eam licet primariam fœderis conditionem, meriti tamen indolem non habere, ita & idem de ſanctimonia vitæ eſt pronuntiandum. Neque enim hoc fœdus naturam habet emptionis venditionis, aut locationis conductionis, aut alicujus contractus innominati, do ut facias, facio ut facias, ubi eorum quæ invicem præſtantur, æqualitas requiritur: ſed habet aliquam convenientiam cum contractu feudali, ubi una pars ex gratia quid in alterum confert; quæ autem alteri viciſſim præſtat, non retributionis, ſed tantùm recognitionis vim habent, grati, fidelis, ac devoti animi teſtem. *Rom.* XI. 35. Idque eo magis quod iſthæc alterius præſtationes etiam pro nudo imperio exigi poterant.

§. 55. Conſtat autem ſanctimonia vitæ duabus partibus, *omiſſione mali*, & *præſtatione boni*, *Pſal.* XXXIV. 15. Eſt autem omiſſio mali non ſolùm initio converſionis præſtanda, velut per quam ſalebroſa & ſpinoſa via purgatur, ut Salvatori ingreſſus per fidem pateat, *Matth.* III. 3. *Marc.* I.

Sanctimoniæ ſumma capita ſunt, omittere malum,

*3. Luc. III. 4. 5.* ex *Jesaia XL. 3.* Qui *ad telonium desedit*, ei *surgendum est. Matth. IX. 9. Luc. XIX. 8.* Sed & per totam vitam continuanda. *Rom. XIII. 12. 13. 14. 1. Corinth. V. 7. 8. VI. 9. 10. 11. Galat. V. 19. 20. 21. Ephes. II. 1. seqq. IV. 17. seqq. V. 3. 4. 5. 11. seqq. Coloss. III. 5. seqq. 1. Thess. I. 9. 2. Tim. II. 19. Tit. II. 12. 1. Petr. I. 14. 15. II. 1. 2. 11. 12. 24. IV. 2. Hebr. XII. 1.* Atque hoc ipsum est *veterem hominem exuere*, id est, priora vitia, pravos habitus, & malas actiones ex originaria labe provenientes, ac post adsuetudine firmatas ac frequentatas deponere. Ast apud eos, qui Christo infantes adhuc nomina dederunt per baptismum, antequam sensibilia peccata actualia commiserint, ac reflexam suarum actionum habuerint cognitionem, eoque nec dolore ob peccata corripi potuerint, pœnitentia tunc demum locum habet, quando per voluntaria, & crassa peccata à recta via aberrarunt, ac fœderali gratia exciderunt. Quibus itidem reditus ad fœdus quærendus est dolore ob admissa peccata, omissione eorundem, ac reparatione damni per peccata sua aliis dati; tum fiducia in meritum Chri-

Christi, ac renovato sanctimoniæ studio. Sed quia etiam illi, qui veteres sordes semel exuerunt, & per baptismum ac fidem Christo inserti sunt, à labe tamen originali non ita sunt expurgati, quin per hanc subinde pravi cupidines, tanquam è sordida palude impuri vapores, peccatorum irritamenta, surgant, ac saltem subitaneos lapsus producant, qui tamen non statim hominem statu gratiæ evolvant. 1. *Joh.* I. 8. 9. *Rom.* VII. 22. 23. 24. VIII. 1. 3. 4. Igitur tota Christianorum vita debet esse perpetua pœnitentia, ac lucta adversus carnis pravos cupidines. Quam luctam divinæ literæ passim efficacissimis verbis exprimunt, quæ partim difficultatem eorum compescendorum, partim summum conatum, & fervens studium circa eosdem castigandos insinuant. Sic *Rom.* VI. 6 vetus noster homo cum Christo *crucifixus* esse dicitur, ut aboleatur corpus peccati, ut posthac non serviamus peccato. Sic *carnem crucifigere* jubemur *cum affectibus & concupiscentiis.* Sic *mortui* dicimur *peccato*, ne hoc *regnet in mortali nostro corpore, ut obediamus illi per cupiditates ejus; neque accommodemus membra nostra arma injustitiæ peccato. Rom.* VI. 11. 12. 13. 14.

Sed *Spiritu facta corporis. Rom. VIII. 13. seu membra terrestria mortificemus. Coloss. III. 5 corpusque contundamus, & in servitutem redigamus. 1. Corinth. IX. 27.*

Et facere bonum.

§. 56. Sed quod positivam sanctimoniam attinet, quæ virtutibus Christianis, & bonis actionibus seu operibus constat, ea in genere passim injungitur. *Matth. III. 8. V. 3. seqq. 16. 20. VI. VII. tot. XII. 35. XVIII. 6. XXIV. 42. 44. 46. XXV. 21. Luc. I. 74. 75. III 8. 9. VIII. 15. XI. 28. Joh. XV. 2. 4. 14. 15. 16. 17. Actor. XXIV. 16. Rom. VI. 4. 19. XII. tot.* 1. *Cor. III. 16. 17. VI. 19. 20. 2. Corinth. VII. 1. Galat. V. 16. seqq. VI. 10. Ephes. I. 4. II. 10. III. 16. 17. 19. IV. 1 seqq. 25. seqq. V. 15. 16. VI. 10. seqq. Philip. I. 11. IV. 8. Coloss. I. 10. 22. 1. Thess. V. 23. Tit. II. 12. 14. III 8. Hebr. X. 22. 23. 24. XII. 1. 14. 2. Petr. III. 3. 4. 1. Joh. II. 4. seqq. 15. 16. III. 3. seqq.*

Ac Christianis virtutibus studere.

Inter singulas autem virtutes eminet *Caritas,* velut tessera Christianæ professionis, *Luc. VI. 35. XII. 33. Joh. XIII. 34. 35. XV. 12. 1. Corinth. XIII. tot. Gal. V. 6. 13. 14. 15. Ephes. IV. 15. 16. V. 1. 2. Coloss. III. 14. 1. Joh. IV. 11. 20. 21.*

*Spes. Rom. V. 5. XII. 12. XV. 4. 13. 2. Thess. II. 16. 17. Rom. VIII. 24. 1. Tim. IV. 10. V. 5. Ephes. I. 10. Hebr. I. 6.*

*Patientia. Jobi V. 17. seqq. Matth. V. 39. Rom. V. 3. 4. XII. 12. XV. 4. 2. Cor. VI. 4.*

*Ephes. IV. 2. Coloss. I. 11. 1. Thess. V. 14. 2. Thess. I. 4. 7. 1. Timoth. VI 11. 2. Tim. II. 3. 12. 2. Petr. I. 6. Hebr. X. 36. XI. 25. XII. 7. Jacob. V. 7. Apocal. I. 9. XIII. 10. XIV. 12.*

*Humilitas. Matth. XI. 29. XVIII. 1. seqq. XX. 26. XXI. 5. XXIII. 7. 10. 11. 12. XIV. 11. XVI 15. Gal. V. 26. Marc. IX. 34. seqq. Luc. I. 51. 52. IX. 47. 48. XVIII. 13. XXII. 26. Joh. XIII. 14. Actor. X. 26. Rom. XI. 20. VII. 16. 1. Cor. IV. 6. XV. 8. 9. Phil. II. 3. Coloss. III. 12. 1. Petr. V. 5. Apocal. IV. 10. XIX. 10.*

*Mansuetudo. Matth. V. 5. XI. 29. Galat. V. 22. 23. VI. 1. Ephes. IV. 2. Col. III. 12. 2. Timoth. II. 24. Tit. III. 2.*

*Proclivitas ad remittendas offensas, & abstinentia à vindicta. Matth. V. 24. XVIII. 15. seqq. Luc. VI. 12. 14 15. 27. 28. 29. XVII. 3. 4. Marc. XI. 25. 26. Eph. IV. 26. 32. Coloss. III. 13. 1. Petr. III. 8. 9. Rom. XII. 19. 1. Thess. V. 15. Hebr. X. 30. Jac. V. 9. Apoc. VI. 10.*

*Studium pacis. Matth. V. 9. Marc. IX. 50. Rom. XII. 18. 1. Cor. I. 10. III. 3. XIV. 33. 2. Cor. XIII. 11. Ephes. IV. 3. Philip. II. 1. 2. seqq. Col. III. 15. 1. Timoth. II. 2. 1. Petr. III. 11. 1. Thess. IV.*

Αὐτάρκεια, & *adquiescentia in sorte divinitus assignata, ac fuga avaritiæ. Ps. LXII. 11. Matth. VI. 25. seqq. Luc. XII. 15. seqq. Marc. VIII. 17. Joh. XII. 5. 6. Actor. VIII. 20. XXIV. 26. 1. Cor. VI. 10. Ephes. III. 5. Phil. IV. 11. Col. III. 5. 1. Tim. VI. 6. seqq. 17. Hebr. XIII. 5.*

*Adquiescentia in voluntate Dei. Jobi I. 21. II. 10. Matth. XXVI. 39. 42. XIX. 21. Marc. X. 21. Joh. XII. 26. Phil. I. 29. III. 7. Actor. XXI. 13. 14.*

*Abnegatio sui ipsius. Matth. X. 37. 38. 39. XI. 29. XVI. 24. Marc. VIII. 34. Luc. IX. 23. XIV. 26. 27. 33. Joh. VIII 54. 1. Cor. VII. 29. 30. 31.*

*Castitas. Job. XXXI. 1 9. Actor. XV. 20. Rom. I. 26. 27. 1. Cor. V. 1. 11. VI. 9. 13. 15. 18. 19. X. 8. Ephes. V. 5. Coloss. III. 5. 1. Thess. IV. 3. 4. 5. 1. Timoth. I. 10. Hebr. XIII. 4.*

*Temperantia. Luc. II. 37. Rom. XIII. 13. 1. Cor. V. 11. VI. 10. VII. 5. Galat. V. 21. Ephes. V. 18. 1. Petr. I. 13. V. 8. 1. Thess. V. 9.*

*Studium precum. Matth. VI 5. seqq. VII. 7. XVIII. 19. Marc. XI. 24. Luc. XI. seqq. XVIII. 1. seqq. XXII. 40. 1. Cor. XIV. 15. Ephes. VI. 18. Coloss. IV. 2. 1. Thess. V. 17. 1. Timoth. II. 1. 1 Joh. V. 14.*

Quibus accedunt sanctissima præcepta circa officia præcipuorum statuum seu ordinum inter homines, in Epistolis Pauli passim obvia.

Circa isthanc morum sanctimoniam id obiter observamus, non solum omnia, quæ à Philosophis circa regendos mores tradita sunt, si cum ista comparantur, insipida planè, ac putida esse: Sed etiam, si omnes in universum eidem debito studio in-

cumbant, ſummam generis humani, quanta in fragilem & mortalem naturam cadere poteſt, felicitatem in his quoque terris inde provenire aptam eſſe. Quippe cum maxima malorum pars, queis mortalium vita nunc infeſtatur, à vitiis promanet, quæ Chriſtianis virtutibus oppoſita ſunt, puta ab avaritia, ambitione, ſuperbia, odio, invidia, vindictæ libidine, ferocia. *Jac.* IV. 1. 2. Et contra magna pars incommodorum, queis fragilis noſtra conditio obnoxia agit, per caritatem, patientiam, aliasque virtutes Chriſtianas tolli, aut levari poſſit. Sanè ſi ad regulas Chriſtianæ dilectionis viveretur, nulla inter Chriſtianos invicem bella gererentur, immenſam calamitatum colluviem ſecum trahentia; & contra inter eosdem pax ſemper floreret, optima rerum, quas homini noviſſe datum, & cum pace omnium rerum abundantia. Sic quot curis ac moleſtiis ſuperſedere homines poſſent, ſi res mundanas ad normam legis Chriſtianæ metiri noſſent? Quam multis morbis ac debilitatibus carere, ſi diætam, animique motus ad virtutes Chriſtianis commendatas componere cordi foret? Quæ, &

plura alia cuilibet in oculos incurrent, si quis animo concipere norit, qualis hominum vita futura sit, si omnes præceptis Christi conformare se enixe studerent, & quæ mala inde proveniant, quod maxima pars mortalium corruptis suis libidinibus, ac moribus seculi, aut profanæ prudentiæ Politicæ regendos se præbent, sic, ut si aliquando melior conditio vitam humanam mansura sit, ea non aliunde, quam à seria, eaque universali Christianæ pietatis cultura expectanda sit.

De Sacra Eucharistia

§. 57. Ut porrò memoria fœderis hujus, per mortem Salvatoris firmati, subinde renovaretur, actuque in sensus incurrente animis eo fortiùs inprimeretur, ac singulari quodam monumento velut obsignaretur, collata quoque simul fidelibus gratia, Salvatori placuit sub ipsum subeundæ passionis momentum instituere ritum seu Sacramentum Cœnæ. Ad cujus indolem penitiùs intelligendam non parum faciet, si observetur, eundem è ritibus, qui apud comestionem agni Paschalis inter Judæos recepti erant, à Christo mutuo sumptum, ac ad longè sublimiorem naturam

evectum. Nam eo ritu quando paterfamilias azymos panes, quibus benedixerat, frangebat hisce cum verbis eos ad mensam adstantibus distribuebat: Hic est panis afflictionis, quem comederunt Patres nostri è servitute Ægyptiaca egressi. Ea verba Salvator noster interpolavit, quasi diceret: hactenus in celebratione Paschatis panem comedistis, qui exprimeret miseriam Patrum vestrorum, cum ex Ægypto properarent. Sed nunc ego porrigo vobis panem longè nobiliorem, qui est ipsum corpus meum, quod pro vobis datur in victimam, ad vos è servitio peccati, & Diaboli ereptos in libertatem fœderis, Regnique mei asserendos. Sic & in celebratione Agni Paschalis poculum vino repletum distribuebatur, cum laude Dei conjunctum, quod tam nobilem creaturam hominibus exhilarandis fecisset. Sed in ejus vicem aliud fœderale poculum substituit Salvator, quasi diceret: hactenus simplex vinum bibistis; sed ego nunc longè nobilius poculum vobis miscebo. Hic enim est sanguis meus, seu calix novi fœderis in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in re-

missionem peccatorum. Ita adparet, solennia verba Mysticæ Cœnæ desumpta esse è duobus ritibus Judaici fœderis; eo nimirum, quo per Agnum Paschalem Israëlitæ in liberum populum evaserant, supremo Dei imperio subjectum; & altero, quo Moses sancivit obsequium populi ad leges tanquam nobilissimam reipublicæ divinæ partem. *Exod.* XXIV. 8. *Ecce hic est sanguis fœderis, quod Deus vobiscum fecit super omnibus hisce verbis.* Ast nunc non sanguis taurorum & hircorum, sed ipsius Salvatoris sanguis effunditur. *Hebr.* IX. 24. Et cum aliàs sanguis res sit, quæ immunditiem adferat, & cujus esus inter vetita habeatur; sanguis tamen victimarum vim mundandi ac purificandi habebat, quatenus sanguinem victimæ fœderalis præfigurabat. Ac multo magis hic ista virtute pollet. *Hebr.* IX. 13. 14. ut *emundet nos ab omni peccato.* 1. *Johan.* I. 7. *Apoc.* I. 5. Sic ut hoc Sacramento Christus non corpus solùm sed & sanguinem velut vehiculum animæ porrigat. *Lev.* XVII. 11. Ex quibus genuinus finis & fructus hujus Sacramenti adparet; qui est ex parte utentis, ut repetat pro-

fessionem suam, qua fœderi in Christo accessit, eoque ipso sibi beneficia per Christi passionem, & meritum parta adplicet, ac pro iis gratum animum testetur, adeoque civem se Regni Christi publicè declaret; ac ex parte Christi de iis confirmetur, ac velut obsignetur cœlestique quapiam virtute donetur, ubi iis ritè usus fuerit. Quid quod & antiquitus usu receptum fuerit, fœdera victimis sancire, atque has epulis adhibere. Vid. *Genes.* XXVI. 28. 29. XXXI. 44. 46. 54. Unde arbitramur genuinum sensum dicti *Johan.* VI. 53. *seqq.* hunc esse: scilicet non presse Sermonem esse de Sacra Cœna: aliàs enim salute non potirentur infantes atque pueri, qui ante ejus usum è vita discedunt, nec latro in cruce, ac plurimi catechumeni salvati forent. Neque tamen pondus dictionis exhauriri, si dicatur; edere carnem Christi, & bibere ejus sanguinem idem esse, quod credere in Christum; seu salutis suæ fiduciam in Christi satisfactione collocare. Neque ejusmodi translationem in tota Sacra Scriptura, ac profanis autoribus reperiri autumo. Igitur connotari seu comprehendi simul videtur

Sacramentum Cœnæ, eoque per locutionem Synecdochicam exprimi totam confœderationem ſeu quaſi incorporationem hominis fidelis cum Chriſto, quæ per Sacramentalem comeſtionem corporis, & bibitionem ſanguinis Chriſti obſignatur. Eodem modo, uti *manus & ſigillum* pro toto inſtrumento contractus dicitur, ac *fœdus ferire* totam compoſitionem fœderis notat, à ritu iſto, quo fœderi iſti firmando victima feriebatur.

De materia inviſibili ejus Sacramenti

§. 58. Sed circa inviſibilem materiam hujus Sacramenti acerrima inter Chriſtianos eſt diſceptatio, quod verba quidem clariſſima ſint, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, & tamen in ſenſus nihil præter panem, & vinum incurrat. Nobis autem ſimpliciſſimum, atque tutiſſimum videtur ita heic procedere. Cum ſacrificium, quo fœdus Dei in Chriſto ſancitum eſt, ſemel in cruce mactatum ſit, non iterandum, *Hebr.* VII. 27. IX. 12. 25. 28. non quidem neceſſarium eſſe, nec convenire, ut corpus & ſanguis Chriſti in hoc Sacramento iisdem cum qualitatibus adſit, quibus præditum erat, cum idem in cruce Deo offerretur, nec ut eundem, quem

ibi, effectum habeat. Quia tamen Paulus 1. *Corinth.* X. 16. docet; *Panis, quem frangimus*, est κοινωνία *corporis Christi, vinum, quod bibimus, est* κοινωνία *sanguinis* Christi, κοινωνία autem seu communicatio nudum signum aut Symbolum non notet; igitur non solum panem & vinum, sed & simul atque conjunctim corpus & sanguinem Christi adesse. Ubi haut insuper habendum, quod propter isthanc conjunctionem attributa corporis Christi & panis, sanguinis Christi & vini reciproce de se invicem prædicentur. Sic 1. *Corinth.* XI. 24. corpus pro vobis *fractum* dicitur, cum fractio propriè pani competat. *Luca* autem XXII. 20. *poculum* dicitur, pro vobis *effusum*, cum effusio propriè sanguini Christi competat. Nam si illud ἐκχυνόμενον referretur ad τὸ αἷμα, dicendum fuisset, ἐν τῷ αἵματι, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, *in meo sanguine pro vobis effuso*. Et poculum illud, solumque vinum non est novum fœdus; sed, uti apud *Matthæum* est, *hic est sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*: & apud *Marcum*: *hic est sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur*. Cum itaque

perſpicuitas & emphaſis verborum non permittat negare, quin utique corpus & ſanguis Chriſti in Sacra Cœna percipiatur, quæſtio tantùm de modo præſentiæ ſupereſt; qui in medio relinqui poſſe videtur, dummodo ſimpliciter credatur, in eo Sacramento revera nobis dari corpus & ſanguinem Chriſti, & à nobis accipi edique ac bibi. Quanquam enim Chriſtus viſibili modo in cœlum ſublatus ſit; tamen quia humana ejus natura propter perſonalem unionem à divina inſeparabilis ſit, ac jam non ſolùm conditione glorificati corporis prædita, 1. *Corinth.* XV. 44. ſed etiam ad dextram Dei, non ad certum locum, ſed ad dextram potentiæ elata ſit; facilè curioſitatem iſtam de modo præſentiæ exuere, ac divino verbo ſimpliciter adquieſcere poteſt, qui veracitatem, & omnipotentiam Dei cogitaverit.

Eorum, qui huic fœderi accedunt coalitio.

§. 50 Univerſitas eorum, qui huic fœderi accedunt, *Regnum Chriſti* conſtituunt, in peculii velut vicem à Patre ipſi aſſignatum. In quod iſte omnes invitat, ac vocat, eamque vocationem non reſpuentes in dilectiſſimos ſibi cives adſciſcit, eosque

regit ac protegit. *Johan.* X. 27. 28. 29. XVII. 24. *Rom.* VIII. 34. *Ephes.* II. 6. IV. 11. 12. *Luc.* I. 33. *Actor.* X. 42. *Rom.* XIV. 7. 8. 9. Hujus regni, quod & *Ecclesiæ* nomine venit, qui genuinus civis eſt, omnium à Chriſto partorum beneficiorum eſt particeps, fitque adeo membrum corporis Myſtici, cujus caput Chriſtus eſt, à quo Spiritus velut vitalis in omnia membra influit, ut omnes horum actiones à Chriſto pretium ſortiantur, ac Deo in iſto placeant: ac ut, quæ alicui eorum inferuntur, ipſum Chriſtum tangant, ſicuti Princeps injurias civibus illatas ad ſe pertinere judicat. *Actor.* IX. 5. 2. *Corinth.* I. 5. IV. 10. *Rom.* VIII. 17. *Coloſſ.* I. 24. Huc ſpectant omnia dicta, quæ de unione fidelium cum Chriſto agunt; quæ non ſolùm per nudam conjunctionem ſubſtantiarum utrinque eſt intelligenda, cum in Deo omnia ſint, vivant, & moveantur; ſed & ſimul ad modum conjunctionis moralis, qua plures in unum corpus morale coaleſcunt, & ex ea coalitione certa jura ac beneficia participant. *Epheſ.* V. 25. 26. 30. 32. 1. *Joh.* II. 24. 27. 28. III. 2. *Johan.* VI. 56. XIV. 23. XV. 4.

*seqq.* XVII. 21. *seqq.* 1. *Cor.* XV. 15. 17. *Gal.* II. 19. 20. III. 27. *Eph.* IV. 15. 16. *Rom.* X. 10. 11. In hoc fœdere, qui ad finem vitæ perstiterint, iis mors transitus ad meliorem vitam erit, *Philipp.* I. 21. 23. eorumque anima à Christo recipietur. *Actor.* VII. 56. 59. 2. *Tim.* IV. 8. 18. Qui & in fine seculi gloriosa corporum suorum resurrectione potientur, ac postquam in extremo judicio clementissimam in se sententiam absolutoriam pronuntiatam audiverint, in beatissimam vitam æternum duraturam intrabunt. *Matth.* XXII. 30. XXV. 34. *seqq.* *Luc.* XX. 35. 36. *Joh.* V. 28. 29. VI. 39. XI. 25. 26. *Act.* XXIV. 15. 1. *Cor.* XV. *tot.* 2. *Corinth.* V. 1. *seqq.* *Coloss.* III. 4. *Phil.* III. 21. 1. *Thess.* IV. 14. *seqq.* 2. *Tim.* II. 11. *Apocal.* XX. 12.

Fundamentales fidei Articuli quinam?

§. 60. Hoc igitur Systemate, quod rudi Minerva delineavimus, multæ adhuc culturæ capax, contineri arbitramur omnes fidei Articulos ad salutem necessarios, ita ut nullus eorum negari, aut in dubium vocari queat, quin tota fidei catena abrumpatur, corpusque doctrinæ Christianæ mancum reddatur. Putamus etiam isthoc Systema ita esse perspi-

cuum, ut abs quovis totus ejusdem contextus facilè comprehendi & memoria teneri queat, simul ratio Articulorum, eorumq; inter se coonexio cuivis adpareat. Nec dubium est, quin si universi Protestantes in id consentire velint, quod quare fieri non possit, ego nullam idoneam rationem dispicio, multæ controversiæ ultrò collapsuræ, ac via ad concordiam, & unionem non parùm inde promovenda sit. Non autem ideo isthoc Systema mutilum est habendum, quod quæstiones de Gratia & Prædestinatione data opera sicco, quod dicitur, pede transiерimus. Cujus rei causa fuit, quod tale Systema invenire cordi nobis fuit, in quod utraque Protestantium pars facilè consentire posset. Quod si enim Lutheranorum circa ea capita sententiam exprimere placuisset, facilè locum invenire licebat, ubi ea dogmata inseri potuissent. Att Reformatorum tradita circa Prædestinationem, &, quæ ad hanc attemperata est, Gratiam ita comparata sunt, ut in nostro Systemate locum invenire nequeant. Nos enim contradictionem involvere arbitramur, fœdus à Deo cum hominibus iniri, &

eos tamen vi abſoluti cujusdam decreti ſalvari, aut damnari. Si enim Deus citra ullum reſpectum certos homines ſalvare, reliquos damnare decrevit, fœdus utique ſupervacuum atque illuſorium videtur. Unde ſatius viſum, ea dogmata tantiſper ſeponere, num per amicam diſceptationem diſſidentes circa ea ſucceſſu temporis ad unionem reduci poſſint. Quorum conſequentia niſi ad alios fidei Articulos fundamentales porrigerentur, ab iis planè videbatur abſtrahi poſſe, & iisdem velut in ſequeſtrum miſſis circa reliqua concordia ſanciri. Præſertim cum obſervemus, Chriſtum & Apoſtolos initio prædicationis ſuæ de hoc dogmate prædeſtinationis nullam planè mentionem, in progreſſu autem parcam admodum feciſſe; quod tamen conveniens fuiſſet, ſi abſolutum aliquod decretum fundamentalis propoſitionis locum in Syſtemate Theologiæ ſubire debuiſſet. Ac ſufficere modeſtiæ ſtudioſo Chriſtiano poterat, iis adquieſcere, quæ Deus in tempore revelavit, & ad ordinem ab hoc præſcriptum ſeſe attemperare, nec dubitare, quin promiſſus à Deo iſtorum effectus certo in ipſo ſit im-

plendus; ad ſecreta autem Dei conſilia non irrumpere, eaque cum revelata voluntate committere. Quo etiam ſpectat illud 1. *Timoth.* VI. 3. *ſeqq.* collat. cum 2. *Timoth.* I. 13. Sed nec in Syſtemate fidei Chriſtianæ præciſe requiritur, ut omnia, quæ divinis literis traduntur, eo contineantur. In his quippe multa alia reperiuntur, quorum notitia etiamſi pulchra ſit, & ad perfectionem hominis Chriſtiani faciat; tamen ſi quis iſta vel plane ignoret, vel errorem aliquem circa eadem foveat, non ideo ſtatim ſalute excidere, aut è ſocietate fidelium excludendus cenſeri debeat. Etſi in doctore Eccleſiæ ampliorem ſcientiam, quam in ſimplici Chriſtiano, requiri, per ſe manifeſtum eſt. Quod tamen cum hoc grano ſalis accipiendum, ut ea dogmata, quæ velut in ſequeſtrum tantiſper mittuntur, indubitatis Articulis fundamentalibus directè, aut per conſequentias inde deductas ne opponantur, neu illâ per haſce enerventur, aut ſubruantur. Sicuti & illud in univerſum requiritur, ut ne qualecunque dogma in libris Canonicis perſpicuè propoſitum negetur; quia dum qua-

liſcunque veritas ibi clare expreſſa impugnatur, eo ipſo autoritas Sacræ Scripturæ negatur, totumque adeo fundamentum fidei evertitur. Aſt qui de genuino duntaxat ſenſu unius vel alterius loci in Sacra Scriptura diſputant, illi hoc ipſo autoritatem earum in dubium vocare non ſunt cenſendi; præſertim ſi ſenſus, pro quo ipſi pugnant, analogiæ fidei non adverſetur, nec pro eo ſuſtinendo totus ferè contextus Scripturæ ſit detorquendus. Denique & illud à quibusdam probe obſervatum, etiam ab orthodoxo aliquo erroneam ſententiam poſſe tradi, ſed cujus labes demum quam maximè in ſequelis inde deductis eluceſcat. Eas ſequelas ſi is, qui erroneam ſententiam propoſuit, non perſpexerit, is utique errorum per conſequentiam inde deductorum argui nequit, adeoque rectè deprecari poteſt, ne iſtæ ſibi conſequentiæ impingantur. Aſt ubi deinceps pravæ iſtæ conſequentiæ è prima illa erronea ſententia legitime, ac citra Sophiſticationem promanantes demonſtratæ fuerint, aliis, qui primam iſtam Theſin arripiunt, proteſtari haut licet, ſeſe illas conſequentias non agnoſcere.

Adeoque, qui error ante motam controversiam, aut inter ejus initia velut ex imprudentia admissus, condonari poterat, post, controversia ad fundum excussa, fundamentalis haberi possit.

§. 61. Superest ut de controversiis, quæ inter duos magnos Protestantium cœtus agitantur, nonnihil moneamus, ac num temperamento aliquo adhibito illæ componi queant, sententiam nostram exponamus. Quæ tamen non solùm privatam nostram speculationem continet, sed & cui mordicus haut inhæreamus, ac eo duntaxat fine has cogitationes publicemus, ut aliis ansa porrigatur eam rem curatius dispiciendi. Unde istis, quæ à me proponuntur, nec mihi præjudicare volo, nec Ecclesiæ, in qua natus, educatusque fui, & in cujus doctrina ad mortem usque persistere decrevi. Neque tamen odio aliquo feror in Reformatam Ecclesiam, cui addictis tribus Serenissimis S. Romani Imperii Electoribus, *Carolo Ludovico Palatino*, ac *Friderico Wilhelmo*, & *Friderico III. Brandenburgicis*, Dominis gavisus sum longè clementissimis; nec minus multorum ex eadem Religione amicitia, gratia-

De controversiis inter Protestantes.

que & beneficiis ubertim usus sum. Sed quicquid heic conor, unicè è studio in veritatem, & bonum publicum proficiscitur. Cum itaque superiore seculo ex levi, uti initio adparebat, occasione Pontificiæ Religionis corruptelæ in apertam lucem protraherentur, magna pars Europæ velut instinctu has rejicere, ac excusso Pontificis Romani jugo, Religionem ad primævam puritatem Sacris Scripturis conformem reformare instituit. Sed quia id negotium in diversis locis à diversis hominibus, nec de compacto susceptum fuit, contigit, ut nec ubique iidem ritus retinerentur, qui tamen ad ipsam Religionis substantiam non faciunt, nec in eandem fidei confessionem, communi omnium consensu adornatam, consentiretur. Et cum inter Lutherum, à quo reformandi initium in Saxonia factum est, & Zwinglium, qui paulò post apud Helvetios idem aggressus statim circa quædam capita dissensum fuisset, istius verò doctrina per Germaniam ac Boreales tractus, hujus per Helvetios, Belgas, ac Angliam, Galliamquè propagata fuisset; istæ dissensiones per sequaces utrique populos dif-

fusæ sunt, atque impediverunt, ne unquam in unam communionem inter se coalescerent. Quæ res non solùm progressibus Reformationis haut exiguo obstaculo fuit, communibus hostibus inde clamandi ansam arripientibus, Hæreticos, quos per injuriam vocant, Spiritu confusionis agitari, nec ipsismet, quid credant, aut non credant, satis constare. Inprimis autem ea divisio ingentia mala per Germaniam produxit. Cum enim ea universa, qua Pontificis jugum excussit, Lutheri dogmata profiteretur, Augustana Formula expressa, eorumque demum publicam pacem, atque libertatem obtinuisset, post hinc inde inrepere cœperunt, qui Zwinglii, atque Calvini dogmata disseminarent, ac alicubi pervicerunt, ut abrogatis pristinis à Luthero toleratis ritibus, ad istorum placita Reformatam doctrinam apud se introducerent. Quo ipso Pontificii cavillari cœperunt, pacem Religionis ad eos duntaxat pertinere, qui Lutheri doctrinam in Augustana Confessione exhibitam profiteantur, eoque recentes illos in Germania non tolerandos. Inde acerrime inter Theologos discep-

tari cœptum, Lutheranis quidem Reformatos erroris arguentibus, his verò contendentibus, se quoque sub Augustana Confessione comprehendi, ac beneficiorum huic quæsitorum participes esse. Principes autem Lutherani ambigue; acuti istos in quibusdam à se dissentire non inficiabantur; ideo tamen pace publica haut excludendos contendebant, præsertim cum spes sit, eos exuto errore ad pristinam ipsorum communionem regressuros. Ast cum Pontificii isthoc dissidium alerent, ac Lutheranis blandirentur, ut Reformatos destituerent, quo his oppressis istos quoque eo facilius in ordinem redigere possent: Reformati suæ securitati per fœdera cavere instituerunt, ac varia consilia miscuerunt, quæ horrendo bello civili materiam præbuerunt, postquam Reformatorum primarius Elector Palatinus coronam Bohemicam acceptare ausus esset. Qui conatus ita sinistre ceciderant, ut universæ Protestantium rei exitium immineret, nisi velut Deus è machina eam restituisset. Quanquam autem Osnabrugensi pace sua quoque Religio Reformatis pari cum reliquis

libertate confirmata fuerit; tamen ſine dubio ſtabiliendis utrorumque rebus plurimum collaturum eſſet, ſi diſſidium inter illos penitus tolli, ſalva veritate divina, poſſet. Ea in diſceptatione Reformati quidem Lutheranos Theologos nimiæ acerbitatis, ac ad damnandos ipſos rigoris, ac præcipitantiæ arguunt. Lutherani contra iſtorum errores exaggerare, ac gravibus conſequentiis onerare. Tum inſidioſe eosdem nec ſatis ſincere agere, ac verbis quidem conſpirantem ſententiam præ ſe ferre, ac dura emollire, atque coloribus adornare; nec minus ſubterfugia ſibi reſervare, ac veteres opiniones animo fovere. Et quanquam fratrum vocabulum jactent, monſtroſas tamen ſententias ipſis quantumvis contradicentibus impingere haut omittere, & quacunque prævaleant ipſos palam, aut per obliquas artes opprimere, ac cum ipſorum imminutione limites ſuos proferre; cum è communi hoſte prædam agentes adplauſus omnium eſſet ſecuturus. Nec verò operæ pretium fieri Reformatis Sacris in locum Lutheranorum ſurrogatis. Nam quæ apud Reformatos bona ſint, ea cum

Lutheranis communia esse. Istis peculiaria nihil ad solidam pietatem facere, ac ita incrustari, ac interpretamentis adornari, ut ipsos eorum pudere videatur. Quæ utraque nec excusare, nec arguere placet, cum concordiæ operantibus prima lex sit, ante acta oblivioni tradere. Igitur hisce missis ad ipsas controversias excutiendas convertimur.

Et quidem circa Personam Christi. §. 62. Eas porrò controversias ad duas classes referre possumus. Quædam enim sunt vel *particulares*, quæ unum duntaxat articulum religionis Christianæ tangunt: quædam autem *per totum Theologiæ Systema*, aut magnam ejus partem *diffunduntur*, idque vehementer alterant, si non planè subvertunt. Ad priorem classem referimus controversias circa *personam Christi, & Sacramentum Cœnæ:* ad alteram quæstiones de *Prædestinatione & Gratia;* à quibus reliqua ferè, quæ controvertuntur, pendent, ita ut istis compositis hæc quoque ultrò ruitura sint. Controversias circa personam Christi peperisse videtur humani ingenii curiositas, id mysterium plus justo ad rationis normam exigere satagens; cum tamen in idem non mi-

nùs quam alia myſteria divinæ ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ in œconomia ſalutis patefacta etiam Angelos παρακύψαι juvet. 1. *Petr.* I, 12. ſeu cujus is eſt ſplendor, & auguſtiſſima ſublimitas, ut etiam ſanctiſſimi genii, intellectus lumine longè clariori præ hominibus pollentes, id tantum velut, per rimam obſervare audeant, ne directo ejus jubare perſtringantur. Cum tamen non minor ſit quorundam hominum circa iſtud definiendum confidentia, quam Medicorum circa deſcribendas corporis humani partes, quas in menia expoſitas contemplantur. Enimverò, ea litigia ultro expiratura judicaverim, ſi, quod & ſupra monui, in hoc Myſterio non ulterius progrediamur, quàm quo diſertæ Sacrarum Literarum aſſertiones vocent, aut qua officium Mediatorium ducit. Quæ extra hos limites evagantur, in medio relinquenda, nec circa eadem definienda temerarius labor ſumendus. Sed & ob diſcrepantiam in methodo tradendi hunc articulum, ac in Scholaſticis diviſionibus non ſtatim hæreſeos crimen ultro citroque impingendum. Præcipua diſceptatio vertitur circa omnipræſentiam

carnis Christi. Eam Lutherani ideo potissimum propugnare videntur; ne dirimant, & divellant unionem naturarum, quæ, veteris Ecclesiæ vocabulo ἀδιαςάτως sese habet ; Reformati contra metuere videntur, ne, ista admissa, humana natura penitus destruatur; cum de essentia corporis sit, ut sit extensum, & certis limitibus circumscriptum. Enimverò antequam tanto fervore invicem certaretur, priùs definiendum fuerat, quæ indoles omnipræsentiæ Dei esset. Quæ quidem hautquidquam in coëxtensione essentiæ divinæ ad omnia corpora mundana consistere censenda est. Sicuti nec περιχώρησις mutua naturarum, quàm Græci Patres dicunt, coëxtensione quadam corporis humani cum essentia divina metienda est; sed alium conjunctionis modum arctissimum innuit, qui cogitationes nostras transcendit. Igitur credere possumus, Christum etiam qua hominem, seu humanam naturam, ejusque corpus & carnem, quam nunquam extra unionem personalem considerari debere arbitramur, saltem ibi præsentem esse, ubi is præsentem se fore promisit, ob indivulsam natura-

rum in una persona unionem ; ut tamen ejusmodi extensionem corporis hautquidquam fingi necessum sit, quæ cum dimensionibus corporum, quibus præsens esse dicitur, coincidat. Cum autem utrinque in confesso sit maximum mysteriorum, unio personalis, seu quod humana natura in personam τȣ̃ λόγȣ assumta sit, nunquam ab hoc velut exuenda, nec separanda, aut divellenda: cur ejus unionis consectarium in dubium vocetur? aut cur non in Christum ut hominem propter eandem possit cadere modus præsentiæ sublimior, quam quo communia corpora invicem præsentia dicuntur, utut modus ejus præsentiæ à nobis distincte definiri nequeat? Sic quia Christus promisit ; *Ubi duo vel tres congregati fuerint in meo nomine, ero in medio eorum. Matth.* XVIII. 20. Item : *Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad finem seculi. Matth.* XXVIII. 20. cur indoles vulgarium corporum obstare debeat, quo minus totus etiam qua homo cœtibus fidelium, singulisque adesse credi debeat ; Præsertim cum adhuc in terris versans ante & post resurrectionem tales actus exercuerit,

qui in alia corpora humana non cadunt. Ac dubium non eſt, quin olim beatorum corpora longè ſupra præſentem mortalium corporum conditionem evehenda ſint. Contra ſuperfluum ac temerarium judicamus, de modo præſentiæ Chriſti hominis extra regnum gratiæ ſolicite inquirere, num Chriſtus cum humana ſua natura, & quo modo ibi quoque præſens ſit, ubi præſentiam ſuam haut promiſit, v. g. huic vel illi ſtellæ, aut omnibus ſtellis ſimul; aut huic vel illi arbori, lapidi, ac ſimilibus. Quid enim ad fœdus Dei cum hominibus in Chriſto, & horum æternam ſalutem facit talia definire? nec repugnat, Chriſtum corpus ac ſanguinem ſuum ſacrâ Cœnâ utentibus præbere ſingulari quodam, & nobis imperceptibili præſentiæ modo, quali reliquis creaturis non adſit. Iſta enim unice ad voluntatem Dei exigenda ſunt; de qua ſi conſtet, de potentia promiſſum præſtandi, modoque mortalem ſolicitum eſſe haut oportet. *Luc.* I. 37. Aliàs enim cum Chriſtus Deus nullibi extra ſuam humanitatem ſit, ultrò propriè dicta omnipræſentia conſequitur.

§. 63. Altera particularis contro-

versia Sacram Cœnam tangit; super qua cum proximis à nato Christo seculis parum disceptatum legatur, ea nunc proximo abhinc seculo Christianos per occidentem acerrime collisit. Circa quam observandum est, eam quatenus circa modum præsentiæ versatur, fere plus curiositatis quàm fructus habere, dummodo super ipsa Sacramenti substantia ejusque fine, & usu consentiatur. Nam modus in Physicis & Moralibus sæpenumero latet, atque ignoratur; & haut eo minùs fructus ex rite adhibito ejus usu provenit. Deinde & illud pro certo habendum; ipsam Sacramenti substantiam, seu quod in eo exhibetur & accipitur, non dependere à persuasione, & credulitate seu fide hominum eodem utentium, sed à dispositione ejus, qui idem instituit. Adeoque sive veram sive falsam expositionem verborum institutionis non facere, ut corpus & sanguis Christi præsens sit, vel non sit, sed voluntatem & veracitatem instituentis. Quo possis adplicare illud. *Rom.* III. 3. *Num incredulitas illorum fidem Dei faciet irritam?* Sic v. g. si alicui ignotum cibi potusque genus proponatur,

Circa Sacram Cœnam.

utut hic diversam de eo opinionem sibi conceperit, quam id revera est; is cibus tamen aut potus ideo non alteratur, aut mutatur; ac idem non accipit id, quod sibi persuasit, sed quod ab hospite eidem propositum fuit. Ita quanquam ad fructum hujus Sacramenti plurimum interfit, qua persuasione quis imbutus ad isthoc participandum accedat: ea tamen persuasio, sive ampla nimis, sive justo tenuior, substantiam ejusdem haut immutat. Ex quo consequitur, ab iis, qui Sacramentum hoc integrum juxta institutionem Christi celebrant, idem quoad substantiam accipi, nec plus nec minus, utut de invisibili re diversa sentiant; eoque in Sacra Cœna apud Lutheranos non plus, quam apud Reformatos, nec apud hos minus, quam apud istos accipi. Sic ut non opus sit circa hunc Articulum ita acriter disceptare, cui è sententia totius antiquitatis μυστήριον φρικτὸν subest, quod sensibus nostris percipi nequit, & sacro quodam cum horrore considerandum, & tractandum est. Ipsas autem discrepantes sententias quod attinet, sanè Lutherani non minus quam Reformati monstrosam istam

Pontificiorum transſubſtantiationem abominantur, & quæ inde conſectaria deducuntur; cum vix abſurdius quid, atque horridius iſto dogmate tam in Theologia, quam Philoſophia excogitari potuerit. Quid enim monſtroſius, quàm è fruſtulo panis ad pronuntiationem certæ formulæ à Sacerdote factam produci corpus Salvatoris, adorationis divinæ particeps; quod tamen non ex Maria Virgine genitum, præter quod Salvatori nullum aliud corpus eſt, ſed nuper in altari productum fuit: ac ut nunc infinities una die per verba Sacerdotum produci poſſit, quod olim tanto velut adparatu Dei, & tanta cum expectatione fidelium è Virgine genitum, ac in cruce expiando humano generi ſuſpenſum fuit? Et cum ex iſtorum mente corpus Chriſti è pane factum etiam poſt Sacramenti ritum permaneat, ac adorabile ſit; non adparet, qua ratione idem corpus corruptioni ſit obnoxium, quando in Sacra Cœna à communicantibus accipitur. Unde ſive dicant, corpus Chriſti ab his digeri, & in eorundem ſubſtantiam verti, ſive idem corruptionis atque alterationis expers perſiſtere? utrin-

que maxima ſeſe abſurditate involvent. Nam inde vel omnium, qui Sacra Cœna uſi ſunt, caro fiet adorabilis, vel iidem cibariorum vicem ſuſtinebunt. Cæterum Lutherani ſimplicitati verborum inſtitutionis inhærent citra ullum interpretamentum, ne veritatem, & omnipotentiam Dei in ordinem redigere velle videantur. Eoque ſtatuunt, panem & vinum manere id, quod ſunt tam in ipſo uſu, quam poſt eum, ut tamen in ipſo Sacramenti uſu una cum illis elementis revera adſit, & ore corporis adſumatur corpus ac ſanguis Chriſti, etſi modo à ſenſibus noſtris haut perceptibili: ac ita quidem, ut non novum aut peculiare corpus ſingulis communicantibus producatur ac detur; ſed ut omnes & ſinguli communicantes de uno illo Chriſti corpore, quod in cruce pependit, & ſanguine illo, qui in cruce effuſus eſt, revera participent, nec iſti tamen aut illi quidquam decedat, aut idem ideo laceretur, imminuatur, aut abſumatur. *1. Corinth.* X. 17. Cui ſententiæ ſtabiliendæ non opus eſt ad omnipræſentiam carnis Chriſti confugere, quam ſi quis ita crude ſtatuere velit,

consecuturum esset, ut cum omni cibo ac potu corpus Christi ederetur, & sanguis biberetur, ne de aliis absurditatibus tangam. Iis tamen rationibus, quæ à judicio sensuum, & natura corporum Physicorum objiciuntur, rectè opponitur veritas & omnipotentia Dei, per quam ab hoc facilè præstari potest, ut imperceptibili nobis præsentiæ modo adsit corpus, quod propter assumptionem in personam Filii Dei, & eminentissimum glorificationis gradum indolem aliorum corporum longissimè excedit. Unde si maximè huic sententiæ error aliquis subesset, (quod nequaquam conceditur,) is tamen ideo innoxius foret, quia ea reverentia Salvatoris verba prosequimur, ut captivata sub obsequium fidei ratione ista simpliciter admittere, quam curiose interpretari malimus. Contra Reformatos, ut repudiato isthoc simplici sensu figuratam interpretationem quærerent, permoverunt rationes à judicio sensuum, & indole corporum petitæ; & quia Christus in cœlum adscenderit, ac ad Dei Patris dextram sedeat, eoque in terris non amplius præsens sit; tùm quia irreverens sit,

dicere, ab indignis quoque, & impiis sanctissimum corpus & sanguinem percipi. Nam quod aliqui cavillantur, corpus Christi dudum fuisse absumendum, si in Sacra Cœna præsens foret, id adeo inficetum est, ut à Sacra tractantibus attendi non debeat. Unde censent, in hoc Sacramento ore corporis percipi non nisi panem & vinum; sed dignos ac fideles fide sua, in cœlum levata, ibi Christum spirituali modo in isto ritu Sacro comedere, ac ita beneficiorum per istum adquisitorum participes fieri. Atqui cum sensus hujus interpretationis huc demum redeat; in usu Sacræ Cœnæ Salvatoris memoriam actu fidei recoli; non adparet, quare isto Sacramento planè opus sit, cum fideles quovis loco & tempore possint ac debeant istam Salvatoris memoriam recolere; aut quomodo ejusmodi recordatio ullo modo possit hisce verbis exprimi; *edite, hoc est corpus meum.* Aliqui subtilius differere videntur. Primam Cœnam ab ipso Christo celebratam esse normam reliquarum Cœnarum. Atqui Christum corpus illud, quod ad mensam assidebat, discipulis comedendum haut porrexisse, nec

ſanguinem, è corpore emiſſum, ad bibendum dediſſe. Non autem dici commodè poſſe, in eodem actu duplicem fuiſſe corporis Chriſti, tunc adhuc in ſtatu exinanitionis conſtituti, præſentiam, unam viſibilem, inviſibilem alteram; eoque idem corpus viſibili ac locali modo ad menſam accubuiſſe, inviſibili atque illocali modo à diſcipulis fuiſſe comeſtum. Cum autem de fœderali victima utique edendum fuerit, Salvatorem in hoc Sacro ritu in vicem corporis ſui ſubſtituiſſe panem, & in vicem ſanguinis vinum. Præſertim cum ad memoriam alicujus Perſonæ ſervandam non illa ipſa Perſona requiratur, ſed aliud in ejus vicem conſtituatur. Non tamen panem & vinum nudum eſſe ſignum aut Symbolum, ſed κοινωνίαν ſeu medium, per quod in participationem corporis & ſanguinis Chriſti pervenimus, uti Paulus loquitur. 1. *Corinth.* X. 16. Qualis autem ſit illa κοινωνία, Phyſica an moralis, ex ipſo Pauli loco non obſcure colligi. Per Phyſicam κοινωνίαν ſeu participationem intelligi conjunctionem duarum ſubſtantiarum, ſicut ſi aqua & vinum, farina & ſaccharum miſceatur. Per moralem autem quan-

do aliqua res de virtute & efficacia alterius participat, eoque respectu eadem cum altera, aut huic connexa censeatur. Sicuti apud Judæos qui comedebanr de carnibus victimarum, participes fiebant *altaris*, id est, cultus Judaici, & omnium beneficiorum, quæ cultui isti adhærebant. Sic & qui de idolothytis comedebant, participes fiebant Diabolorum, non quod substantiam Diabolorum comederent, sed reatum idololatriæ in se derivarent. Ex quibus omnibus hunc sensum verborum institutionis promanare: hoc est corpus meum, hic est calix novi fœderis in meo sanguine; id est, hic panis in ritu Sacræ Cœnæ à fidelibus comestus, hoc vinum ibidem bibitum, eandem efficaciam ac virtutem habebit, ac si ipsam substantiam mei corporis comederetis, & substantiam sanguinis biberetis; seu, hic panis subit vicem carnis victimalis; hoc vinum subit vicem sanguinis victimalis, quo fœdus inter Deum & homines Mediatore me fuit sancitum. Neque verò infrequentes esse ejusmodi locutiones, æquivalentiam aut substitutionem notantes, tam in Sacra Scriptura, quam apud profanos autores, v. g. *Jobi* XXXI.

*24. Numquid dixi massæ auri solatium meum? 2. Reg. II, 12. Elias fuit currus Israëlis, & ejus equites. Job. XIX. 26. 27. Mulier ecce filius tuus; ecce mater tua. Matth. XII. 49. Qui facit voluntatem meam, est mater mea, frater meus, soror mea. Philip. III. 18. 19. Venter est Deus hostium crucis Christi. Virgilius: Tu eris mihi magnus Apollo.* Enimverò in Articulis fidei tutius est simplicitatem sequi, quàm ingenio consectandis argutiis indulgere. Ac observatum fuit, dum circa Articulum de Sacra Cœna humanæ rationi fræna nimium laxata sunt, alia quoque Mysteria Religionis Christianæ fuisse solicitata, sic ut gradatim Socinianismus demum prognatus sit. Cæterùm si utraque pars bona fide profiteatur, in Sacra Cœna corpus & sanguinem Christi revera ac proprie edi ac bibi, deque partis ab ipso beneficiis participari; controversia remanet circa modum comestionis ac bibitionis, ipsiusque præsentiæ corporis & sanguinis Christi; quem utrique captum humanæ rationis transcendere agnoscunt; eoque ratiociniis res geritur, ubi rationi locus non est.

Controversiæ de Gratia & Prædestinatione.

§. 64. Ast quæ circa *Prædestinationem* & *Gratiam* agitantur controversiæ, per totum ferè Systema Theologiæ diffunduntur, idque alterant, eoque majoris momenti videntur. Id quod ad oculum patet, si, quo ordine utraque pars suæ quæque Hypothesi superstructa dogmata collocet, nec per nativam rerum consecutionem aliter collocare queat. Ac Lutheranis quidem id pro Hypothesi assumitur; eundem ordinem decretorum in signo rationis divinæ esse constituendum qui in exsecutione adparet: seu Deum eodem modo & ordine homines ab æterno salvare, aut damnare decrevisse, prout in tempore eorundem salus, aut damnatio producitur, atque effectui datur. Neque enim aliter nobis de Dei voluntate constare, quam ex revelatione & operibus ejus. Atqui in vocatione hominum ad salutem, & prædicatione hautquidquam initium fuisse factum à prædestinatione, sed ab adhortatione ad agendam pœnitentiam, & amplectenda salutis media divinitus constituta. Nuspiam Christum, aut Apostolorum quempiam ita prædicationem suam orsum esse: Deus aliquos

ex absoluto beneplacito ad vitam æternam elegit, alios ex pari decreto reprobavit: igitur facite pœnitentiam, & credite Evangelio. Quem & modum homines ad amplectendum Evangelium à ratione abhorrere, in aprico est. Ac sufficere nobis debere, id amplecti, quod Deus in tempore offert, quem bona fide nobiscum agere, nec simulatione uti credere par est; ita ut non soliciti esse debeamus, quid decretorum in arcano Dei consilio præcesserit, quorum saltem adplicationem ad hoc vel illud subjectum in individuo definire penes nos non est. Ac revera hominem in fœdere ac gratia Dei esse, ac salvari posse, etiamsi nunquam cogitarit, quod Deus circa salvationem hominis in antecessum decreti quid condiderit. Eo posito fundamento primum locum obtinet creatio hominis justi & sancti. Inde ejusdem ultroneus lapsus, à quo omnis Dei culpa abest. Tùm novum fœdus ac nova salutis via in Christo velut universi humani generis Salvatore, dehinc ejus mors ac meritum ad universum genus humanum pertingens; mox omnium hominum invitatio ad amplectendum

Salvatorem, & præbitio efficacium ad eum finem mediorum; ſed quæ aliqua duntaxat hominum pars amplectitur per vires, mediis divinitus præbitis, inſitas; reliqui propria ex malitia & reſiſtentia rejiciunt. Quorum utrumque cum Deus ab æterno præviderit, illos elegit, & ad vitam æternam prædeſtinavit, hos per propriam culpam ſalute excluſos damnationi addixit. Unde ſicut iſti in Chriſto electi ſunt, *Epheſ.* I. 4. 5. ita per divinam gratiam & Chriſti meritum actu æternam ſalutem conſequuntur; cæteri propria culpa damnationem ſibi arceſſunt. Ita apud iſtos univerſale eſt fœdus Dei in Chriſto, hujus meritum, vocatio, gratia; ſed particularitas à malitia hominum provenit, conſilio Dei de ſalute ipſorum reſiſtentium. Quæ & aliqui ita exprimunt; eſſe in hoc negotio conſiderandam πρόθεσιν ſeu propoſitum, inde præſcientiam, demum prædeſtinationem. Πρόθεσις eſt decretum, quo Deus hominis lapſi ſalutem procurare inſtituit per Salvatorem fide adprehenſum. Inde cum Deus ab æterno præviderit, quinam fidem admiſſuri, quinam rejecturi ſint; illos ab æterno

elegiſſe, hos reprobaſſe. Contra Reformati, antiquiores cumprimis, iſta omnia diverſo planè ordine diſponunt: ac primo loco ſtatuunt decretum Dei de manifeſtanda miſericordia, ac juſtitia ſua. Cui ut locus ſit, placuit, homines creare, qui objectum miſericordiæ, & juſtitiæ exercendæ eſſe poſſent. His ideo in lapſum fuiſſe præcipitandum; è cujus miſero ſtatu extrahantur, quos Deus abſoluto beneplacito ad vitam æternam deſtinarit, reliquis æternum perituris. Atque iſtis duntaxat ſalutis media deſtinari, quæ cæteris prodeſſe non debeant. Sed cum doctrina iſta de abſoluto decreto etiam quibusdam, ei Eccleſiæ addictis, horrida nimis videretur, velut Deus ultrò effecerit, ut mali fierent, quo ipſe in eos juſtitiam ſuam expromere poſſet, mitigandæ huic methodo non ultra lapſum aſſurgere voluerunt; ſed qua ratione hic procuratus fuerit aut extiterit, in medio reliquerunt. Eoque ſuppoſuerunt genus humanum jam in peccata prolapſum, & æterni damnationis reum. E qua paris conditionis maſſa Deus ex abſoluto ſuo beneplacito certos quosdam ſeligere, & ad æternam ſa-

lutem perducere decreverit, quibus & solis media salutis, ut proficua sint, constituerit: cæteros in miseria sua æternum perire passus sit, quibus & nullam salutis viam dare voluerit. Quanquam autem recentiores hi longè mollius sentire velle videantur, quam antiqui isti, quorum hos *supralapsarios*, illos *infralapsarios* vocant: manifestum est tamen, utrosque unam & eandem Hypothesin fovere, hoc duntaxat discrimine, quod antiqui integram suam Hypothesin exponant, recentes priorem ejus partem velut nimis horridam truncent. Cum tamen res eodem redeat, ac hi, ubi super caussis lapsus urgeantur, ad antecessorum suorum sententias demum revolvi necessum habeant.

Origo harum controversiarum. § 65. Ad penitiùs autem intelligendam harum controversiarum indolem sciendum est, eas primam originem è disputationibus Augustini contra Pelagianos traxisse. Hi enim cum viribus humanæ naturæ, ac liberi arbitrii plus justo tribuerent, iste, uti in fervore disceptandi, & è studio ἀνθολκῆς fieri assolet, in alterum extremum inclinavit, & ut eo magis vires humanæ naturæ deprimeret, atque

extenuaret, gratiam Dei eo usque extulit, ut omnia ad absolutum hujus beneplacitum referret. Post inter barbara secula invalescente superstitione Regni Tenebrarum interfuit in Pelagianorum sententiam inclinare, ut bonis operibus tanto uberior vis meritoria tribui posset. Etsi haut eo secius quidam ex ea Synagoga absolutum decretum foverint, insigni stuporis specimine, cum merito hominis nihil magis repugnet, quam absolutum istud Dei beneplacitum. Contra qui superiore seculo ad repurgandam ab erroribus & abusibus Pontificiis Religionem incubuerunt, ut opinionem meriti humani circa æternam salutem eo fortiùs destruerent, ad sententiam Augustini revoluti sunt, ac inter eos ipse Lutherus, velut Augustinianæ disciplinæ alumnus; cui sententiæ à nonnullis dicta admodum φορτικά adspersa sunt, non malo, ut credere humanum est, animo, sed ut circa salutis negotium omnem vim humanis viribus ac meritis detraherent, eamque unicè divinæ gratiæ vindicarent. Et crediderim istos ab initio haut prævidisse, quantum absurdarum aut durissimarum conse-

quentiarum ex istis ita crude positis eliciendum, aut ultrò promanaturum sit. Unde cum post ea sententia oppugnari cœpisset, &, quæ humani ingenii labes est, à semel placitis haut discedere placeret; proximum erat, ut consequentias istas velut per calumniam sibi impactas arguerent, easque à se statui, aut probari negarent; ac subinde quædam emollirent, ac interpretarentur, ut tamen, prima principia, è quibus dura ista promanarunt, apertè rejicere, turpe sibi ducerent. Ubi id quidem certum videtur, si ego Thesin aliquam bona fide statuam, nec initio prævideam, hanc vel illam pravam consequentiam inde deduci posse, me non protinus accusandum, quasi hasce quoque probem, & pro mea sententia habeam. Haut eo magis tamen doctrina, ex qua talia promanant, sana potest haberi. Et ubi istæ sequelæ ad oculum demonstratæ fuerint, nec earum connexio negari queat, incassum interponitur protestatio, eam consequentiam non agnosci, cum tamen admittantur præmissæ, è quibus istæ promanant. Nam quod pro vero habendum est, ex eo falsum consequi non debet; &

ſi qua ſententia ab initio probata fuit, poſt autem profundius excuſſa pravas ſequelas parturire comperta fuit; ea vel planè eſt rejicienda, vel ita limitanda & explicanda, ut pravis conſequentiis ſcaturigo obſtruatur.

§. 66. Deinde & id nemo ſanus negaverit, in hoc negotio dari quæſtiones, quarum rationes ab hominibus inveſtigari nequeant, & ad quas nihil aliud reſtet, quam exclamare, *ô altitudo!* v. g. Quare Deus tempora ignorantiæ tamdiu diſſimulaverit? *Actor.* XVII. 30. *Rom.* XVI. 25. *Epheſ.* III. 5. *Coloſſ.* I. 26. Quare alicui populo citiùs, alicui tardius doctrinam ſalutis annunciari fecerit? *Actor.* XVI. 6. 7. Cum plurimi populi Americani, multi in reconditis partibus Africæ, & Aſiæ, invincibili Evangelii ignorantia laborent, quæ ratio ſit, quare hi damnentur? Etſi alias ad univerſalitatem vocationis non requiri arbitremur, ut ea omnibus in oppidis, aut vicis, aut ſingulis domibus, hominibusque ſit facta. *Coloſſ.* I. 6. Et quæ aliæ paris indolis quæſtiones formari poſſunt. Enimverò non ſequitur; quia nos circa ejusmodi hominum, in tanta ignoran-

In his controverſiis ſunt aliqua hominibus imperſcrutabilia.

tia versantium, damnationem nullam evidentem rationem è communibus regulis juris & æqui reddere possumus, ideo Deus in his damnandis nihil aliud præter nudum, ac nullis rationibus suffultum, placitum secutus est. Id si cui non sufficiat, ei occinere licet; *quid ad me qui extra sunt?* 1. *Corinth. V. 12. Ac nescire velle quæ Magister optimus docere non vult, erudita inscitia est.* Add. *Tit. III. 9.* Ast ut inter eos, qui in Ecclesia nati & educati sunt, & quibus verbum Dei tota die prædicatur, nulla alia ratio, quare hi salventur, isti damnentur, reddi possit aut debeat, præter absolutum decretum, & beneplacitum; id nullo modo cum genuino Theologiæ Systemate conciliari potest. Sanè frustra Deus per certa media hominibus salutem procurare voluisset, frustra quoque Deus pacta cum hominibus iniisset, si ex absoluta voluntate quosdam salvare, cæteros damnare placuisset.

Absolutum decretum admitti non potest.

§. 67. Id igitur nullo modo dispicere possum, qua ratione ulla concordia, & unio inter Lutheranas & Reformatas Ecclesias sperari possit, quamdiu hæ dogmati de absoluto de-

creto, ejusque consectariis ita mordicus inhærent, idque utique inter expresse credenda referre, & primo loco inter Articulos, salutis nostræ œconomiam explicantes, constituunt. Sanè quo minus salus hominum ex absoluto, & à quibusvis respectibus abstracto beneplacito, ac decreto provenire statuenda sit, per quod causæ secundæ, earumque operatio, & effectus irrefragabili necessitate sint determinata; præcipua causa est, quod Deus interveniente fœdere homines salvare voluit; quicum ejusmodi necessitas consistere non potest. Quod enim per indispensabilem meam dispositionem produco, & efficio, circa id ut fœdus ineam superfluum, contradictorium, & illusorium est. Equidem nostris viribus circa salutis negotium nihil planè tribuere, nec gratiæ Dei gloriam salutis nostræ detrahere est animus. Id tamen saltem voluntati nostræ relinquendum est, ut resistere, ac oblatam gratiam respuere possit; cum citra hoc moralitas planè extingueretur, ac homines machinarum instar ad supremum finem pertrahendi essent. Quo adplicari potest *Psal.* XXXII. 9. Non ampliùs tunc

Theologia foret moralis disciplina, sed Physica, & operationes istæ ex legibus motus essent definiendæ. Sanè in creatione Deus tantùm dixit, *fiat*, & factum est; atque idem in regimine naturæ quotidiè fit. Vid. *Ps.* CXLVIII. 5. 6. 8. Ast in conversione hominum Deus tali modo non agit, sed moraliter, ac per suasiones. Unde & passim in divinis literis de repugnantia hominum adversus divinam voluntatem legitur. *Gen. VI. 3.* Sic Pharisæi *sprevisse* dicuntur *consilium Dei adversus semetipsos. Luc. VII. 30.* Nec vero aliud quæritur, quam ut veritas isti pronuntiato divino stet: *perditio tua ex te Israël, sed salus tua ex me solo. Hos. XIII. 9.* Add. *Jerem. X. 23.* Item, *stipendium peccati mors, sed vita æterna est gratia Dei.* Item, *ego volui, sed vos noluistis. Matth. XXIII. 37.* Add. *Actor. VII. 51. Rom. X. 21. Phil I. 6.* & quæ ad h. l. commentatur *Georgius Calixtus. Eccles. VII. 10. Sapient II. 23. 24. 25. Esai. V. 2. 3. 4. Jerem. II. 21. VII. 13. 24. 25. 26. 27. Ezech. III. 7. 27.* Neque verò per hanc resistendi facultatem voluntas & potentia Dei in ordinem redigitur, aut aliquid eadem vali-

validius statuitur. Equidem id forte locum habere posset, si Deus de commodo aliquo sibi adquirendo ageret, idque ab altero intercipi, aut impediri posset. Sed nunc unicè agitur de beneficiis, quæ Deus in se beatissimus, & αὐτάρκης gratis in alios conferre vult, sed invitis & recalcitrantibus impingere non vult. Ac Deus heic non agit ex tota sua potentia, & extremis velut è viribus, sicut machinæ, ac brutæ potentiæ solent; Sed agit velut potentia libera, quæ vires suas per certos gradus, aut intra certum modum exserere, ac intendere, & remittere potest. Adeoque quia is cum homine moraliter agere voluit, (nam Christus uno verbo sanavit ægros, imperavit procellæ, ut quiesceret, verbo mortuos in vitam revocavit; ast tali modo homines convertisse non legitur) necessum fuit, ut ita operationem suam circa eorum salutem temperaret, quo hominibus facultas remaneret istam excutiendi, aut repudiandi. Quam ob causam etiam non necessum est, ut Deus omnia velit absolute, sed potest etiam velle quædam sub conditione, adeoque effectum voluntatis suæ suspendere à conditio-

ne. Quanquam etiam præſcientia Dei nunquam fallatur, & utique eventurum ſit, quod Deus prævidit: non tamen ideo ea præſcientia rebus neceſſitatem adferre cenſenda eſt, cum ea non ſolùm eventus, ſed & eventuum cauſas complectatur, & illa quoque præſciat, quæ ſub conditione eventura ſunt. Aliquando etiam Deus finem quempiam definit, ut tamen non ſtatim media ad eundem finem definiat, ſed tantùm præſciat, atque permittat. Sicuti Deus Salvatoris mortem definivit; malitiam autem Judæorum, & proditoris tantùm præſcivit, & permiſit; quia etiam per alia innocentia media mors iſta provenire poterat. *Actor.* II. 23. Sed neque prædeterminatio aliqua, ac velut in anteceſſum facta diſpoſitio cauſarum & effectuum in Deo fingenda eſt, quæ omnibus eventibus abſolutam neceſſitatem adferat. Nam in ejusmodi diſpoſitione Deus cauſas moraliter agentes ita inſtruere eſt intelligendus, ut horum operationibus & effectibus moralitas conſtet. Quid quod vocabula providentiæ, præſcientiæ, prædeterminationis, ac ſimilia deputanda ſunt ab illa imperfectione,

quæ iisdem ineſt, quando hominibus adplicantur, ubi inter præviam diſpoſitionem, & productionem effectus ſpatium aliquod temporis interjicitur. Quale ſpatium interjectum in providentia Dei concipiendum non eſt; quippe in quo ſucceſſio temporis ſecundum prius & poſterius non datur, ſed pura æternitas, ſeu nunc ſemper ſtans, adeoque omnia præſentia, præterita, & futura Deo ſunt hodie. *Pſal.* XC. 5. Unde directio & diſpoſitio Dei velut immobilis, & in centro conſtituti operationes rerum quaſi in circumferentia circumvolutarum ſemper comitari, ac pari velut paſſu cum iis incedere intelligitur. Cui ſententiæ illuſtrandæ facere poteſt, quod plurimis locis Pſalmi dicitur: *duc* me, ut *ambulem*; *oſtende* mihi viam tuam Domine, ut *ambulem* in veritate tua. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Quod ab eo, & de eo, qui ad machinæ inſtar irreſiſtibiliter movetur, dici nequit. Reformati porrò, quo minus per prædeterminationem, quam pleriq; ſtatuunt, Phyſicam moralitas actionum humanarum tolli argueretur, eo confugerunt, ut libertatem voluntatis in ſola ſpontaneita-

te, & absentia violentæ coactionis consistere fingerent, non in indifferentia, etsi non semper in æquilibrio constituta. Atqui si actus Physicus quarumvis actionum humanarum ita prædeterminatus est, ut non possit non existere, ac si eo actu Physico existente non possit non homo ad eum moraliter influere: ego quidem mente concipere non possum, plus libertatis inesse homini, quàm inest aquæ intra alveum defluenti, aut rotundo Saxo ad clivum montis collocato, in cujus motu etiam nil coacti adparet.

De causa particularitatis.

§. 68. Sed & in eo sententia Lutheranorum à Reformatorum placitis toto cœlo differt, quod cum effectus salutis non apud omnes homines producatur, Reformati quidem ejus particularitatis causam ultimo in Dei placitum referunt, qui & ideo mediorum salutis operationem tantùm particularem instituerit. Lutherani contra agnoscunt, quæ à parte Dei ad istum finem conferuntur, universalia esse; sed particularitatem ab hominum culpa provenire, oblata media adspernentium. Atque huic quidem sententiæ favent tum jamjam dicta, tum ipsa in-

doles fœderis in Christo. Nam uti Deus ab initio cum Adamo universale fœdus iniverat citra exceptionem; ita & eodem violato exitium ad omnes sine exceptione propagatum est. In istius fœderis locum fœdus cum Mediatore Filio Dei initum est, quod eodem porrigi, quo lapsus Adamitici effectus, expresse docetur. *Rom. V. 12. 15. seqq.* & quidem ut ratio universalitatis in gratia per Christum parta longe favorabilior sit, quàm universalitas labis è lapsu Adamitico provenientis. Neque vero in isto fœdere ullum particularitatis vestigium adparet. Nam si DEus id voluisset ad certam duntaxat, & definitam generis humani partem pertinere, hæc à reprobatis distingui debuerat certis nationibus, locis, aliisque notis. Atqui nil ejusmodi heic reperitur. *Ite in mundum universum : docete omnes gentes.* Cum contra Salvator, quando discipulos velut experimenti causa ad certa duntaxat loca ablegare vellet, iis designarit, quo accedere non deberent. *Matth. X. 5.* *Cum itaque Deus nos elegerit in Christo. Eph. I. 4.* damnationis causa alia esse non potest, quàm non credere in

Christum, nequaquam autem absolutum aliquod decretum. Tum utique dicta Scripturæ de universali misericordia Dei, de meriti Christi ad omnes extensione, de vocatione, & prædicatione Evangelii, à qua nemo divina aliqua dispositione, aut jussu excludatur. *Coloss.* I. 23. *Marc.* XVI. 8. ita perspicua sunt, ut vis eisdem inferatur, si ad certos duntaxat homines restringantur. Equidem differitur, non par esse tanti pretii lytrum frustra prodigere. Saltem dici non posse Christum pro iis sanguinem effudisse, qui ante ipsius passionem jam damnati, & in infernum conjecti erant, unde nulla est redemtio. Enimvero talia ratiocinia locum habere possent, si redemtio generis humani facta esset per rem certo pretio taxari aptam, aut cujus pretium in certas partes sit divisibile. Sicuti, si pro redemtione captivorum de certo lytro conventum sit, prodigalitas, & profusio esset, si pro pluribus pretium exsolveretur, quam actu ipso libertati restituuntur. Ast meritum Christi est indivisibile, & universale lytrum pro toto genere humano, quod retro & ante operationem suam exserit;

cuique nihil decedit, utut apud singulos horum culpa effectum non sortiatur. Et cum vel unius animam redimere supra hominis vires opesque sit. *Psalm.* XLIX. 9. generi humano redimendo utique infiniti valoris pretio opus erat. Atqui infinitum divisionem non recipit; adeoque ad valorem meriti Christi nihil interest, num genus humanum è centum, an è mille millionibus constet. Sic virtus à Deo serpenti æneo imposita, cui Christus ipse se assimilat. *Johann.* III. frustranea non erat, si maximè quidam eo remedio uti adspernarentur, ac perirent, aut si eadem in plures adhuc diffusa consumenda non fuerat. Igitur gratia & misericordia Dei, & meritum Christi hautquidquam ad regulas œconomicas tenuium hominum mensuranda est, quæ non permittunt aliquid emi, aut comparari, quod frustra periturum, aut in nullius usum cessurum sit; sed eadem potiùs ad magnificentiam, atque ubertatem operum, ac beneficiorum naturalium concipienda sunt. Sicuti v. g. Solis lux & calor, aqua, spirabilis aura, ita exuberant, ut paucissima eorum pars ab hominibus, aliisve animantibus ab-

ſumatur, aut in horum uſum cedat: nec parcius ſe diſpenſabant, quando genus humanum duobus hominibus conſtabat, quam cum idem in plurimas myriades multiplicatum eſſet. Nec tamen ideo tantorum beneficiorum autor Deus profuſionis aut prodigalitatis arguitur. *Matth. V. 45.* Ac ſi iſta cum parſimonia beneficia per fœdus in Chriſto parta humano generi admetienda eſſent, utique par erat, notam aliquam conſtitui, ex qua dignoſci poſſet, ad quænam individua humana iſta pertineant, ad quæ non, ne ſacrum canibus, & margaritæ porcis objicerentur. Denique & Reformatis ad eludenda univerſalia dicta, & ſalvandam ſuam theſin neceſſum fuit comminiſci diſtinctiones *voluntatis arcanæ & revelatæ; beneplaciti, & ſigni; legiſlatoriæ & decretoriæ*, quæ utcunque adornentur, vix bonus vir ad ſua promiſſa & pacta adplicari passurus ſit. Equidem non deſunt, quæ pro mitigando particularitatis dogmate dici queant: Fœderi in Chriſto quemlibet hominem pro ſe ac ſigillatim accedere, non in integra ſocietate, aut communione aliorum hominum. Unde fidem qua ſinguli ſal-

vantur, esse hanc, Christus *me* dilexit, ac se ipsum *pro me* dedit. *Ego vivo per fidem Filii Dei. Gal. II. 20.* etiam si abstraheret, ac non cogitaret de hac propositione; Christus omnes dilexit, & dedit se pro omnibus. Sicuti & nemo ei conditioni fidem suam superstruit; credam in Christum, si & alii omnes in eundem crediderint, aut si & alii omnes salvandi sint. Unde cum quilibet suâ fide vivat, & salvetur, sufficere, si singulis firmiter persuadeatur, sese in electorum numero esse; modo ejus persuasionis firma, & immota habeant fundamenta. Enimvero si maximè demus, errorem particularitatis non esse per se damnabilem, si quis bonâ fide in eo versetur, id est, si reverà persuasus sit, eam Sacræ Scripturæ sententiam esse; quia is per se in fœdere esse, & omnia salutis media habere potest, quæ ipsi sufficiunt: tamen longè tutius, & ad praxin Christianismi, capessendumque solatium commodius est dogma de universalitate, quàm huic oppositum de particularitate. Sanè minus scrupulorum, ac dubitationum surgere potest, si quis norit, Deum omnes velle salvari,

omnibus media salutis offerre, eaque apud omnes efficaciam suam exserere, qui suâ culpâ eadem non rejecerint; quàm si cui persuasum sit, è massa æque damnabili Deum quosdam, & quidem minorem partem ex absoluto beneplacito elegisse, reliquos omnes in ista miseria reliquisse. Nam signa illa, ex quibus singuli de sua electione præsumere volunt, sensus ille fidei, & testimonium internum Spiritus, possunt fallere; ac multi ceciderunt, qui pulcre sibi stetisse visi sunt, *Col.* I. 23. Quamdiu etiam liquidus sensus fidei in eo, qui particularitatis dogmate imbutus est, deprehenditur, eo se solari potest: ast isto vi tentationum intercepto, unde tunc solatium petendum? Ac voluntas arcana, revelatæ contradistincta, nunquam hominem securum esse patitur, eam, quam nunc sentire sibi videtur, fidem ex arcano Dei decreto promanare. Sicuti si communitati rebellium civium venia hoc modo promulgetur; gratia Principis omnibus indulgebitur, qui eam petulanter non rejecerint; civibus major veniæ fiducia nascetur, quàm si eadem ita concepta sit; amnestiæ quidem verba universalem veniam

præ ſe ferre videntur; ſed revera quosdam tantum in gratiam recipere conſtituit Princeps. reliqui ſub ejus ira manebunt, nec tamen infallibile extabit indicium, ex quo ſinguli judicare queant, in horum an illorum numero ipſi ſint. Denique quo modo incredulitas pro cauſa damnationis allegari poteſt, *Johann.* III. 18. ſi ex abſoluto Dei beneplacito Salvator, ejusque meritum ad reprobos pertinere non debuit? Sane nemo negare poterit, quin à bonitate & clementia Creatoris tanquam communis patris abhorreat, creaturam rationalem inevitabili exitio deſtinare abſoluto è beneplacito; aut è lapſorum cœtu quosdam eripere, cæteros in eodem relinquere citra peculiarem cauſam, reſpectum aut meritum; & nihilominus ſine exceptione omnes ad agendam pœnitentiam, & credendum Evangelio invitare. Cum tamen, ubi certæ perſonæ ad certum finem citra ullum reſpectum deſtinatæ ſint, nihil interſit, certa per media, aut citra hæc eas ad iſtum finem perducere. Reliquos autem invitare, quos abſolutè rejeceris, ludibrium eſt cum acerba crudelitate conjunctum. Notatu

digna mihi videntur, quæ *Jurieus* de Pace inter Proteſtantes p. 221. fatetur: Veteres Doctores Reformatos, Oecolampadium, Bullingerum, Gualterum, &c. prædicaſſe; mortem Chriſti eſſe pretium ſufficiens ſaluti omnium, omnibus credentibus ſalutis poſſibilitatem conciliantem, imo datam eſſe omnibus hominibus, & Deum velle omnes homines ad ſalutem & cognitionem veritatis venire. *Hæc enim eſt ipſiſſima doctrina Scripturæ. At hodie Scripturam interpretamur juxta ea, quæ eadem Scriptura nobis revelat de prædeſtinatione abſoluta.* Sed quæro, an non longe clarius Scriptura loquatur de univerſali Dei miſericordia, & reliquis huc ſpectantibus, quam de abſoluto decreto, cujus expreſſa mentio nuſpiam ibi fit: & an non tutius incedant, qui prædeſtinationem è claris illis dictis metiuntur, quàm qui ex hac per præconceptam opinionem, aut ex obſcuris & ambiguis dictis deformata clariſſima iſta dicta violento modo detorquent?

Controverſiæ minoris momenti.

§. 69. Atque hæ quidem præcipuæ ſunt controverſiæ, quæ inter Evangelicos mutuo agitantur: quibus componendis ſi idonea ratio iniri

possset, reliqua dissimulare, aut corrigere in proclivi foret. Nam uti Lutherani Reformatos circa articulum de prædestinatione consequentiis urgent; ita hi vicissim, vulgus præsertim, reliquias è Pontificio ritu non satis expurgatas objiciunt. Quem in censum referunt *Exorcismum* in Baptismo retentum; *Confessionem* privatam, & qui eam comitari solet, *Denarium* sacrum: *orbiculares panes* in usu S. Cœnæ, vix panis indolem habentes; *altaria* quoque, & candelas, tum multas *imagines* in templis servatas, & inter alias Salvatoris in *cruce* suffixi; peculiares ministrorum *vestes*; *genuflexiones* & *capitis detectiones* ad nomen JEsu: superfluos *dies festos*; exorbitantem *musicæ* usum, & quæ ejus generis sunt alia. Nam circa discrimen ministrorum, & externum Ecclesiæ regimen non tàm cum Lutheranis, quam inter ipsos in Anglia præcipue litigium est. Circa quæ observandum; ista omnia esse è rebus, quæ fidei fundamentum non tangunt; eoque *adiaphororum* nomine venire solent. Circa quæ uti facile concedi posset, si ea ratione ad solidam & sinceram concordiam via

muniretur: ita si mutatio, aut abolitio istorum arripienda sit, velut signum, probatæ in universum diversæ religionis, inutile juxta, ac parum decorum fuerit concedendo vacillationis quid ostendere. Quia tali casu ista fiunt symbola sectæ, cujus dogmata si non probantur, salva conscientia ejusdem quoque exteriora signa adhiberi non possunt. Ast si ista omnia in se spectentur, tanti sane non videbuntur, ut ideo tàm noxium utrique parti diffidium ali debeat. Præsertim cum in multis Lutheranorum Ecclesiis pleraque istorum non observentur, quas reliquæ, ubi eadem adhuc retinentur, eo nomine haut quidquam arguunt. Sicuti nec reliqui Reformati Ecclesiam Anglicanam, quæ pluribus adhuc, quam Lutherani, ceremoniis utitur, communione sua excludunt. Ac de *Exorcismo* quidem, undecunque is in formulam Baptismi irrepserit, nemo Lutheranorum ita delirus est, ut credat, infantes ante Baptismum corporaliter aut etiam spiritualiter, phrasi proprie acceptâ, à maligno spiritu esse obsessos, & hunc ista adjuratione expelli. Ceterùm cum per Baptismum ingres-

ſus fiat in Eccleſiam & Regnum Chriſti, extra quod Satanæ ſe potentia exſerit; nec minus extra Eccleſiam peccatum originis pleno jure dominetur: per eam formulam haut abſurde inſinuatur, nil juris in baptizatum ſupereſſe Satanæ, in civem Regni Chriſti; ſimul impuro ſpiritui, è palude velut labis originalis exhalanti, loco jam cedendum, cum iſte novitius Chriſti civis à Spiritu Sancto deinceps ſit regendus. De quo Baptiſmi fructu cum utique expediat in ejusdem adminiſtratione moneri, quæſtio tantum eſt, an non præſtet commodiore, & minùs horrida formula hanc ipſam rem exprimi? ubi ſi per temperamentum aliquod ad concordiam profici quid poſſit, non video, quare difficiles eſſe debeamus, modo ſenſus iſte, quem dixi, retineatur. *Confeſſio privata* magnum habere poteſt uſum ad monendos, & corripiendos eos, quorum vita, & fama præceptis Chriſti non quadrat, & quibus ſigillatim monendis alias occaſio non eſt. Tum ut idonea informatione & conſolatione inſtrui queant, quorum conſcientiæ ſcrupulis agitantur. *Munuſculum*, quod Eccleſiæ mini-

ſtris datur, eſt pars ſalarii. Id ſi quem offendat, vel de publico iisdem ſalarium conſtituatur, unde ſe ſuosque honeſte ſuſtentare poſſint; vel auditores adſueſiant, ut alio titulo liberalitatem ſuam erga eos exerceant, quos in tali munere conſtitutos eſurire toti cœtui turpiſſimum foret. *Orbiculares* in S. Cœna *panes* ex eadem materia, qua alii panes, conſtant; quorum minuta forma neminem offendere debet, cum eorum finis non ſit ventriculum replere. Etſi maxime cordatis perinde eſſe queat, quod panis genus adhibeatur: tamen vix adparet, quomodo citra magnam offenſionem plebis aliqua mutatio poſſit inſtitui; cujus infirmitas non inſuper habenda eſt. Neque vero opus eſt, ut ita rigide *fractio* in ipſa Cœnæ celebratione adhibeatur. Nam frangere panem, eſt propriè, grandiores panis maſſas in particulas dividere, ut comeſtione fiant accommodæ. Quæ diviſio utrum ante Cœnam, an intra eam fiat, perinde eſt. *Sic frangere famelicis panem noſtrum* jubemur. *Jeſa.* LVIII. 25. Cui præcepto ut ſatisfiat, nemo ita abſurdus fuerit, ut credat, pauperibus præciſe defracta panis fruſta

frusta esse porrigenda. Necessitatem ejus ritus inde adstruere, ut ex eo pateat, in pane non latitare corpus Christi, nescio quo vocabulo exprimendum sit, cum ridiculi voce in tam seria re uti parum deceat. Neque enim ita stupidi sunt Lutherani, ut credant, intra panem latitare corpus Christi, quod istius superficie amota conspici queat. In Hymno *Johannis Hussi*, in verbis *verborgen im Brodt so klein*, vox *verborgen* non est participium, sed adverbium, eoque non significat, corpus Christi est *occultatum* in exiguo pane, sed *occulte seu occulto modo*. E lapide an ligno *mensa* sit, & quam figuram habeat, ad quam S. Cœna celebratur, nihil interest; & istas mensas lapideas à Lutheranis in sacrificii usum non adhiberi, omnes norunt; qui &, ubi lapidearum mensarum copia non est, ligneis ac vulgaribus uti haut reformidant. Apud quorum & multos *cereorum* nullus est usus; sed ubi is adhuc retinetur ad notandum tempus nocturnum institutæ S. Cœnæ, nimis quam delicatum fuerit tam innoxium ritum cavillari. Signum *crucifixi* ad nudam memoriam citra ullam veneratio-

nem in ædibus Sacris Christianorum fastidire, parum decorum est ill s, qui in cruce Christi gloriari debebant. Alias *imagines* dudum amotas fuisse, nemo ægrè laturus erat, ac si caries easdem destruat, nemo dolebit. Quæ innoxio ornatui faciunt, tetricus nimium foret, qui ferre non possit. Neque enim Christianis divinitus ædium sacrarum forma, ut Israëlitis tabernaculi, præscripta est. Si qui peculiares ministrorum Ecclesiæ *vestes* ad modestiam compositas, ac nil superstitionis habentes aversentur, eis licebit suos aulica aut militari veste indutos in suggestum, aut ad mensam sacram statuere, & à cordatis exquirere, num id deceat. An JEsu Christo, Domino ac Redemptori nostro nimium honoris exhiberi possit, Christiano vix persuaderi debebat; cum etiam ad Principum nostrorum nomen morati homines *caput detegere* soleant. Et cum per istum exitiabili servitio erepti ad pileum vocati simus cur ad dulcissimi nominis mentionem tantam circa pileos parsimoniam adhibere debeamus? *Dierum festorum* multitudinem, ubi ea adhuc laboratur, abrogari utique intererat, alen-

lendis vulgi vitiis fere ansam præbentium. Solo *Musicæ* sonitu templa perstrepere, nullo pietatis sensu, merito abrogandum fuerit: sed hymnos dulcedine harmoniæ condire, nemo reprenderit. Ac circa exteriora Ecclesiæ nil aliud præceptum, quam ut omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *decenter* & *secundum ordinem* fiant, *1. Corinth. XIV. 40.* ac modestia observetur. Ut quorumvis noviter concinnati hymni in publicum Ecclesiæ usum recipiantur, nemo probaverit. Sed ut mordicus adhibeantur soli Davidici Psalmi, pertinacia est, nulla ratione subnixa; cum maxima horum pars ad præsentia Ecclesiæ tempora, aut singulorum Christianorum necessitates haut quadrent. Ordinarios textus, diebus Dominicis ex antiquissimo instituto explicari solitos, in meliorem & concinniorem ordinem, ac majore cum delectu digeri posse, uti haut abnuerim; ita cuilibet ministro liberam optionem relinqui, quem quavis vice textum explicare velit, non minus incommodorum habet. Denique cum quæstiones super externo Ecclesiæ regimine fundamentum fidei non tangant, ac ad doctrinam fœde-

ralem nil intersit, utrum quis credat, ministros Ecclesiæ inter se æquales, aut subordinatos esse: sane haut par erat, tanto fervore super regimine Episcopali, aut Presbyterali certari, ni inde ambitionem & lucrum, hinc pervicaciam, & aliud ambitionis genus, superiorem ferre nescientis, exprobrari sibi velint. Saltem vel id certamen satis arguit, pervicaciam & duritiam ingenii, quæ Lutheranis objicitur, ne à Reformatorum quidem ministris abesse. Sed nobis sufficit, fundamentum fidei, & indolem controversiarum, inter Protestantes agitatarum, pro captu ingenii delineasse. Num partes in designatum Systema consentire, ac super controversiis bona fide transigere possint, si ambitio, pervicacia, contemtus aliorum, odium Christiana professione indignum, & præconceptæ opiniones tollantur aut compescantur, piorum, cordatorum, ac Sacræ Scripturæ peritorum judicio permitto.

Strictu-ræ in Petri Iuriæi consultationem de- §. 70. Sed quia, dum isthæc meditamur, in manus nostras incidit *Petri Jurieu Theologi Roterodamensis Consultatio de pace inter Protestantes ineunda*, visum est, circa tradita ab

hocce excutienda nonnihil operæ collocare, num forte plusculum lucis huic controversiæ adferri queat. Qui quidem etsi nil omisisse videatur eorum, quæ pro coloranda Reformatorum sententia in articulo de Gratia & Prædestinatione dici possunt: Spes tamen est à præjudicio vacuos agnituros, ad sensum sacrarum literarum, & conceptum, quem hæ de Deo formare jubent, melius quadrare, quæ nostrates super eodem articulo profitentur. Sane uti *Deum nemo vidit, sed unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, nobis revelavit: Johan. I. 18.* ita de Deo, ejusque voluntate & dispositione circa nostram salutem nil scimus, nisi quod per istum in Sacris Scripturis nobis revelatum est. Hac viâ tutissimi ibimus, humana ratiocinia extra istas sequi, quantumvis subtilibus distinctiunculis suffulta, lubricum est atque temerarium. *Jurieus* igitur iste pronuntiat: *Voluntates inefficaces pugnare cum idea entis infinitè perfecti; quia aut mutabilitatem, aut ignorantiam, aut impotentiam arguunt.* Nos contra arbitramur, voluntates inefficaces, id est, quæ extremum rei effectum non attingunt, cum idea

Pace inter Protestantes ineunda.

De voluntate inefficaci. p. 7.

entis perfecti non pugnare. Deus enim non est concipiendus ad modum potentiæ brutæ, quale pondus est, quæ semper extremam suam vim uniformi modo exserit; sed ad modum potentiæ intelligentis & liberæ, quæ vim agendi intendere, restringere ac temperare, prout videatur, queat. Cum autem ei placeret, non solas creaturas irrationales creare, quæ ad modum nudarum machinarum agunt, sed etiam tales, quibus aliquis libertatis gradus competit, ut de actionibus suis rationem possent, ac deberent reddere; igitur voluntas Dei circa has omnem suam potentiam non exserebat, sed intra certum ordinem à se ipsa designatum procedebat. Alias enim contradictionem involvebat, creare liberam creaturam, cui de actionibus suis ratio sit reddenda, & tamen ex absoluta sua voluntate ejus actiones in antecessum determinare. Igitur non temeraria aliqua mutatio, aut improvisus eventus, aut externa causa è transverso quasi interveniens voluntatem Dei inefficacem reddit; sed ipse voluntatem suam suspendit ab eventu actionis aut omissionis alienæ, à se quidem prævisæ, sed circa

quam suscipiendam aut omittendam alterius voluntatem non omni modo flectere & inducere, sed eam libertati suæ relinquere vult. Sanè nemo negat, quin Deus efficere plura potuerit, quam actu ipso effecit; igitur voluntatem suam non eò usque porrigit, quo poterat.

§. 71. Inde *Juriæus* ostendere instituit, in Deo duplicem dari voluntatem; unam prout is consideratur ùt *legislator*, alteram prout consideratur, tanquam qui *eventus decernit*. Isthæc distinctio certo sensu admitti posse videtur; quod nempe Deus quædam velit aut jubeat fieri *ab aliis*, ita ut eæ actiones imputentur illis, quibus injunguntur, seu pro horum actionibus habeantur. Quædam autem Deus decernit, ut eveniant seu fiant, ita ut hi eventus habeantur pro effectu divinæ voluntatis, cujusque adeo *autor Deus dicendus* sit. Ast alium ejus distinctionis sensum præ oculis habet *Juriæus*, ac pronuntiat, has duas voluntates *aliquando inter se pugnare videri*. Nam (1) *secundùm voluntatem legislatoris Deum non posse permittere peccatum*. Id enim perinde foret, atque declarare peccatum

De voluntate Dei legislatoria & decretoria. p. 9.

esse licitum; id quod contradictionem involvit. At *Deum velut decretorem eventuum saltem permittere peccatum*, id est, non omni modo impedire, ne id fiat. Enimverò nos arbitramur, nullam esse inter hæc duo effata repugnantiam: non do licentiam & impunitatem aliquid faciendi; & non omni vi impedio, ne aliquid fieri possit. (2) *Voluntati Dei Legislatoris nunquam resistitur sine Crimine.* Rectè. *Ast voluntati Dei decernentis resistitur non tantum sine crimine, sed aliquando cum pietate.* Nego. Probationis loco adducitur. *Filius Patrem videt ægrotantem, omnia signa denotant mortem mox futuram. Ea est voluntas Dei decernentis eventum: Ei tamen resistitur; Filius orat supplex, remedia adhibet, nil non tentat, ut eventum, quem Deus vult, remoretur.* Ast nos negamus, si mors inevitabilis adpareat, studium, & preces Filii à pietate commendandas, nisi fiant cum conditione, si Dei voluntas ita ferat. *Matth. XXVI. 38. Actor. XXI. 14.* Et quod David hanc conditionem suis precibus pro filiolo è Bethsabeda genito suppofuerit, ex 2. *Samuel. XII. 20, 21. 22.* clarum videtur. 3. *Voluntatem*

p. 10.

*Legislatoriam non ponere eventus rerum, seu præscindere, num res futura sit, an minus. Ast voluntatem Dei decernentis facere, ut res certo eventuræ sint*; addo, non tamen ut omnes conditiones excludantur, aut ut eædem absolutè fiant. 4. *Ad complendam voluntatem Legislatoris Deus media non disponit. Etenim permittuntur illa libero arbitrio hominis.* Hæc ambigue dicuntur, & non nisi hoc sensu admitti possunt: Deus non eo modo disponit media, ut actio homini non ampliùs possit imputari tanquam propria. Alias sanè Legislator media, id est, possibilitatem præstandi; quod adsit, aut adfuerit, præsupponit. Leges enim circa possibilia versantur. *Ast Deus ut exequatur voluntatem decernentem, media præparat.* 5. *Voluntas Legislatoris significat, quodnam sit hominis officium, quod ab eo præstandum. Ast nullo modo significat, quid ipse Deus velit facere.* Hæc verba insidiose posita sunt. Sanè abstrahit voluntas Legislatoria à decreto futuritionis. Ast id utique voluntas Legislatoria significat, quod Deus non decreverit efficere, ut necessario id non fiat, quod ipse jussit, aut utique fiat,

quod ipse vetuit. Hoc enim modo voluntas Legislatoria esset contradictoria, & longè iniquissima. *6. Voluntas Legislatoris non rata est, non fixa, non immutabilis, nisi respectu legum, quæ in natura divina suum habent fundamentum. Mutatur illa voluntas pro tempore, & variis œconomiis.* Insinuare heic *Juriæus* velle videtur discrimen inter leges Dei æternas, & temporarias, adeoque immutabiles & mutabiles. Sed quæ distinctio nihil ad rhombum facit. *7. Voluntas Legislatoris est aliquid Deo extrinsecum, ut creatio, revelatio per verbum.* Heic *Juriæus* confundit voluntatis Legislatoriæ declarationem cum ipsa voluntate Legislatoria. Illa est sanè *actio transiens.* Hæc cur non æque *actio immanens* dici queat, quam voluntas decernens, non video: cum hæc aliquid etiam extra Deum saltem in signo rationis divinæ præsupponat, uti mox latius explicabimus. Ex his omnibus *Juriæus* infert; *Voluntatem Legislatoriam non esse propriè sic dictam voluntatem Dei, sed legem positam voluntatibus hominum, & in Deo figuratam & Metaphoricam tantùm. Ast voluntas decernentis est vera propriè sic dicta*

*Dei voluntas.* Nos contra ſtatuimus, etſi diſcrimen concipi poſſit inter id, quod Deus tanquam Legislator ab alio vult fieri, & id quod ipſe tanquam ſuum factum decernit; non tamen ejusmodi diſcrimen eſſe comminiſcendum, per quod ea, quæ à Deo fieri jubentur, à ſeria ejusdem voluntate tantùm non planè excludantur; adeoque magna pars dictorum S. Scripturæ, quibus Deus aliquid velle aſſeritur, eludatur. Qui peſſimus hujus diſtinctiunculæ abuſus eſt. Quin contra Deus ſerio & propriè, non figurate aut metaphoricè vult, ut Legislatoria ſua voluntas impleatur: ſed id non vult eo modo, ut aptitudo ad imputandum actioni adimatur, ſeu ut non ampliùs homo pro ea actione, ejusve omiſſione reſpondere poſſit. Unde & Deus primo homini id virium concreavit, quod implendæ legi ab ipſo injunctæ ſufficiebat. Quas vires cum homo per lapſum amiſiſſet, Deus poſt cum inſtaurato fœdere tantùm quoque novarum virium obtulit, per quas iſte huic quoque fœderi ſatisfacere poſſet. Unde quando Deus velle dicitur, v. g. ut peccator convertatur & vivat, non

credendus eſt per tacitam exceptionem, aut arcanum decretum diverſa ſtatuens hominibus illudere, ſed cum præcepto idoneas ſimul vires ad converſionem offerre, eo tamen modo, ut iſti moralis ratio conſtet. Unde & nullo modo admitti poteſt, voluntatem Legislatoriam coincidere cum
p. 12. *voluntate illa ſigni*, ab intrinſeco beneplacito diſcrepantis, quæ revera illuſoria eſt, & per quam non minus omnis vis promiſſionum divinarum elidi poteſt, quam per Jeſuiticas reſervationes vis veritatis inter homines proſcribitur. Qua & planè opus haut eſt ad genuinum ſenſum eorum, quæ figurate aut ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, quæ etiam ſtupidus quiſpiam à propriè dictis diſcernere poteſt. Unde & mendoſe admodum dicitur: *Deum quidem ſerio velle, ut talis Legislatoria ſua voluntas ſit regula faciendorum hominibus, & norma, ſecundum quam aliquando judicabuntur. Aſt non eſſe ſerium, verum, & reale deſiderium, ut omnes obediant Legislatoriæ voluntati.* Aſt talia dici poſſunt in Tyrannos, queis leges adhibentur ad emungendos pecunia ſubditos. Qualis degener fraus à Majeſtate Dei longè ab-

horret. Et quæ ratio iſtius aſſerti redditur? *Alioquin omnes obedirent: quis enim reſiſtere poteſt ipſius voluntati?* Scilicet abſolutæ Dei voluntati reſiſtere nemo poteſt; ſed quæ heic locum non habet, cum aliàs ab homine patrari non poſſet actio, quam jure adprobatio, meritum, aut pœna ſequi poſſet. Ejusdem farinæ ſunt & hæc: *Voluntas Legislatoris non declarat propenſionem Dei ad hos vel tales eventus; ſed ſignificat in genere, Deum amare ſanctitatem & morum puritatem, prout legibus definitur. Et quando Sacra Scriptura dicit, Deum velle, ut omnes homines obediant ſuæ legi, hoc non ſignificare, Deus vehementer cupit, ut omnes obediant, ſed tantùm; Deus hanc legem poſuit omnibus hominibus, ut legibus divinis ſubjiciantur, aut reos ſe faciant mortis æternæ.* Id eſt, Deo leges ferenti ſufficit declaraſſe, quid ipſe probet: de cætero eidem perinde eſſe, homines obtemperent, an minus. Nam poſteriore caſu eum accipere, qui pœnas luant. Aſt talia de ſe cogitari etiam inter homines bonus Princeps ſummæ injuriæ loco duxerit. Unde falſum eſt, quod *voluntas Legislatoris*

*ſit tantùm extrinſeca & Metaphorica; nam veram voluntatem & realiter in Deo exiſtentem non poſſe eſſe inefficacem, nec poſſe ſucceſſu carere.* Atqui voluntas Dei Legislatoria vera & ſeria eſt voluntas, eaque utique efficax, & quæ terminum, quem intendit, & in quem fertur, ſemper aſſequitur; qui eſt, ei cui promulgatur obligationem imponere ad id, quod lege præſcribitur, faciendum; & ubi id neglexerit, ad eundem pœnæ obnoxium reddendum. Ut autem ea, quæ legibus imperantur, fiant vel non fiant, à Legislatore abſolutè decerni non poteſt, ſed non niſi cum hoc temperamento, ut ei, cui quid injungitur, ſaltem facultas Phyſica relinquatur, juſſa ſuo periculo negligendi; quod citra hoc actio moralis intelligi nequeat. Adeoque voluntas decretoria voluntati Legislatoriæ haut ita opponenda eſt, ut per illam adimatur ſaltem facultas contraveniendi, quæ ab hac præſupponitur. Nam aliàs illuſorium foret, ſubjectis alternativam proponere: id quod paſſim per totam Sacram Scripturam fit. Vide *Geneſ. II. 17.* ubi fruſtra erat comminatio, ni facultas Phyſica foret, juſſum negli-

gendi. *Levit. XXVI. totum Deuter. XI. 26. 27. 28. Jos. XXIV. 15. 2. Paralip. VII. 17. seqq.*

§. 72. Non parum porrò lucis huic discussioni accedet, si consideretur, quæ sit indoles præscientiæ divinæ; quomodo ea à prædeterminatione & decreto Dei differat; utra alteram præcedat in signo rationis divinæ; & num hæc aut illa tùm aliis eventibus, tum voluntati humanæ necessitatem adferat, adeoque utraque cum libertate voluntatis humanæ consistere queat? Circa præscientiam igitur divinam observandum, etsi ea liquidissima sit, & fallere nescia; eandem tamen rebus nullam necessitatem adferre, nec his causam dare: cum ea nihil aliud notet, quam intuitionem rerum deinceps extiturarum, aut possibilium; sicuti inspectio est rerum præsentium, & memoria præteritarum. Atque ista etiam in eos cadit, qui ad productionem rerum nihil conferre possunt. Productio enim rerum est opus potentiæ & voluntatis; præscientia autem solius intellectus. Illa definit & constituit, prout res utique existere debeat: hæc à necessitate existendi præscin-

Præscientiæ divinæ indoles.

dit, & rem simpliciter intuetur. Quod autem attinet ordinem præscientiæ & decretorum divinorum circa futuram rerum existentiam, utra alteram præcedat; Sanè manifestum est, non sine absurditate & contradictione statui, decreta Dei priora esse præscientia. Id enim perinde est, ac si dicerem; me statuisse certam aliquam rem producere, quam, quæ, & qualis sit, nesciam. Unde utique dicendum est, in signo rationis divinæ præcedere intellectum, qui repræsentet possibilitatem, seu quid salva Dei sapientia, justitia, & sanctitate fieri queat. Ex ista velut contemplatione possibilitatis & congruentiæ Deus decernit, ac definit, quid utique futurum aut extiturum sit. Circa decreta autem condenda observandum est, Dei potentiam cum libertate, sapientia, atque justitia esse conjunctam; seu Deum non semper extremas velut suas vires exserere; sed potentiam suam ultrô quasi cohibere & temperare, ut aliis quoque potentiis à se conditis libertatis quid relinqui possit: tum eandem in diversum à sapientia & justitia Dei hautquidquam tendere. Unde est, ut Deus possit condere creaturam certo

liber-

libertatis gradu dotatam, cujus omnes quidem actiones præſciat, quas tamen irrefragabili decreto, & quod libertatem evertat, haut prædefiniat. Id enim contradictorium foret, libertatem alicui dare, & tamen ſuo decreto in anteceſſum talem ei neceſſitatem imponere, quam declinare nequeat. Et quia Deus ſanctus & juſtus eſt, non poteſt decernere, ut ſe autore & neceſſitatem adferente, aliquid utique fiat, ſuæ ſanctitati & juſtitiæ repugnans. Unde mala per liberas creaturas patranda Deus prævidere poteſt, permittere poteſt, id eſt, omni ſua potentia non impedire, quo minùs planè non fiant. Decernere quoque poteſt, ut è malo bonus quiſpiam effectus ſequatur. Sed ſalva ſua ſanctitate & juſtitia malum jubere, eique in anteceſſum neceſſitatem ad id adferre non poteſt. Nam quod *Actor. IV. 28.* Deus προώρισε γενέσθαι : *decrevit ut fieret*, eſt mors Salvatoris, non injuſtum judicium Pilati, quem & per inſtinctum conſcientiæ, ac immiſſum uxori ſomnium Deus monuit. Sed quia iſti potius fuit viſum plebis furori indulgere, quem compeſcere immiſſo milite, aut dilata ſententia

eludere in proclivi erat, Deus mala ea actione ad bonum finem usus est; qui finis tamen etiam citra istam obtineri poterat. Sed bonam actionem à Deo præcipi, viresque eidem exsequendæ suppeditari, & quidem ut ea actio certo modo homini tribuatur, isque eo nomine præmio mactetur, nihil à bonitate, sanctitate, & justitia Dei alienum habet. *Matth.* XXV. 14. *seqq.* Cum itaque vocatio Dei ad amplectendum Evangelium, & viam salutis per modum legis proponatur, prout *Actor.* XVII. 30. Deus omnibus hominibus pœnitentiam *præcipere* dicitur; absurdum dictu est, Deum decernere, ut quidam homines vocationi non pareant. Circa quam tamen Deus, ne ejus moralitatem extinguat, vim irresistibilem haut adhibet, sed saltem libertatem rejiciendi gratiam oblatam relinquit. Unde & salva præscientia, & potentia Dei rectè dici potest; Deum aliquid serio velle, & idonea media, ut id fieri possit, suppeditare; & tamen eam voluntatem non attingi, ejusque diversum fieri, quia nempe Deus potentiam suam temperat, quo rationalis creatura libertatem suam exserere queat. Prout &

Deus aliquid ſub conditione velle poteſt, quam implere vel non implere penes creaturam rationalem ſit. Ex his, puto, ſat perſpicuè colligi poteſt, quomodo præſcientia & potentia Dei cum libertate hominis conſiſtere poſſit, quia nempè illa rebus neceſſitatem non adfert; hæc autem circa morales hominum actiones extremas velut vires ſuas temperat, ne extincta planè hominum libertate moralitas quoque actionum locum non habeat. Iſta probè obſervata ad multas Sophiſticationes diſſolvendas viam munire poſſunt.

§. 73. Porrò circa vocationem reproborum ita tradit *Juriaus: Deum habuiſſe utique voluntatem eos vocandi, quia reapſe eos vocavit; ſed non habuiſſe voluntatem eosdem ad ſe trahendi, quia trahere non vult niſi ſuos. Inter illos quippe, quos Deus vocat externe, ſunt aliquot, quos Deus vocat, ut vi flexanima gratiæ ad ſe ſuaviter illos pelliciat. Alii ſunt, quibus ſit invitatio & ſalutis oblatio eo fine tantùm, ut reddantur inexcuſabiles, & propria culpa pereant.* Aſt nobis longè reverentius de bonitate, & ſinceritate Dei ſentire videntur, qui ſtatuunt, Deum De vocatione reproborum.

serio velle, ut omnes vocationi pareant, ac, ut parere possint, ex sua parte nihil omittere. Non tamen eousque vim gratiæ suæ intendere, quo minus vocati eam rejicere, ac oblato beneficio sua culpa excidere queant. Etsi duritiem assertionis suæ mox temperare conatur *Juriæus*, dum subjungit: *nunquam propriè loquendo Deus hunc sibi præstituit finem vocationis externæ, nimirum homines reddere inexcusabiles. Reprobos Deus non vocat, nisi per accidens, quia sunt bonis & electis permixti. Omnia fiunt in mundo propter electos: vocatio est electorum, sicut cætera dona Dei. Sed electi non possunt vocari soli; latent in turba. Vocatio fit per homines, qui arcana Dei non norunt. Ideo verbum & prædicatio dirigitur ad omnes indiscriminatim, & Dei legatus debet supponere, aut omnes electos esse, aut saltem esse posse.* Ast hæc ratiuncula id forte ostendit, quare is, qui magnum aliquem cœtum alloquitur, Sermonem ita formare possit, quasi omnes electi essent. Sed ob hanc rationem non necessum erat, Sacram Scripturam ita loqui, quod Deus omnes homines salvos esse velit, quod eos omnes vocet, quod omnibus pœ-

nitentiam imperet. Quin contra dicendum; Deum etiam improbos directè & serio vocare, ut bonitatem suam demonstret, & eisdem querendi ansam eripiat, velut per istum steterit, quo minus ipsis æternum bene sit; ac non decreta Dei occulta, aut manifesta, sed propriam ipsorum malitiam in culpa esse, quo minus hujus benignitate fruantur. Sic *Ezech II. 3.* populus, ad quem Propheta à Deo mittitur, in universum pervicax, durus, rebellis dicitur; cui tamen is verbum Dei annunciare jubetur, sive audiat populus, sive non audiat. Et haut eo minus apud eundem Prophetam c. XXXIII. 11. & XVIII. 13. Deus sanctè testatur, se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Quod si autem Deo placuisset, seriam vocationem ad certos duntaxat homines porrigere, haut in arduo futurum erat, aliqua nota eos discernere, ne sanctum porcis projiceretur. Sicuti quando Salvator discipulos tirocinium velut deponere jubet. *Matt.* X. 5. 6. certa loca designat, ubi Evangelium annunciare debeant, ubi non. Et cum Deus certo temporis articulo verbum à Paulo prædicari nollet in

Aſia & Bithynia, id ipſum facere inhibuit. *Actor.* XVI. 6. 7.

De voluntate Dei conditionali. §. 74. Ex eodem fundamento, quod Deus non ſemper ex tota quaſi ſua potentia agit, ſed eam temperare ac moderari poſſit ac ſoleat, etiam eſt, quod Deus non omnia abſolutè, ſed quædam certa ſub conditione velit, quam exiſtere, vel non exiſtere penes eum eſt, cui is aliquem libertatis gradum indulſit. Qua conditione non exiſtente effectus quidem ille, qui conditione exiſtente ſecuturus erat, non ſequitur, ut tamen ideo nulla in Deo mutatio exiſtat; cum is voluntatem non determinarit, niſi in caſum exiſtentis conditionis. Unde audacter nimis à *Jurieo velleitas*, & *voluntates antecedentes* proſcribuntur eo nomine, quod ſint inefficaces. Nam iſtæ voluntates hanc ſemper habent efficaciam, ut de benignitate Dei teſtentur. Aſt eam efficaciam, qua oblatum à Deo beneficium actu repræſentandum erat, ex intentione Dei non aliter habere debuerunt, quam poſita conditione, ab arbitrio ejus, cui oblatio fit, dependente. *Pſ.* LXXXI. 12. *ſeqq. Jerem.* XXXVIII. 17. 18. Unde falſo dicitur; *nunquam ens*

p. 18.

*infinite perfectum dicere posse* : vellem. *Est enim hoc entis aut ignari futurorum, aut imbecillis aut legibus vincti*, quorum nihil in Deum cadit. Ast datur quartum; vel ejus, qui non semper omnem vim suæ potentiæ exserit. Quo respectu nihil repugnat de Deo dicere, *vellem*. Unde & frustra in Deo negantur *decreta conditionata*, velut *cum idea entis infinite perfecti non satis convenientia*. Equidem *Jurieus* dicit, *quicunque decretum sub conditione facit, eo ipso se futuri nescium, aut impotentem declarat*. Ast datur tertium, vel alterius libertatem indeclinabili necessitate adstringere non vult. Neque vero conditio ista, etsi non extitura prævideatur, *merum ludibrium est*; cum benignitatem offerentis declaret, ex sua parte nihil omittentis, omnemque culpam, quare iste pereat, à se amolientis. Nec *impossibilis* dicenda est talis conditio, quam non secuturam prævisum fuerat; cum prævisio rebus necessitatem non adferat, ac ea revera secutura fuerat, ni homo libertate sua abusus foret. Equidem negari non potest, quin Deus potentiam habuerit efficiendi, ut ea conditio utique extaret. Sed, ut eam poten-

p. 19.

p. 20.

tiæ menſuram adhiberet, Deus non tenebatur, nec neceſſum erat, per quam moralitas ejus actionis, & ad imputandum aptitudo extinguenda fuerat. Ac vult ſane talium hominum ſalutem Deus, modo ipſi non nolint: non tamen ſuæ ſapientiæ conveniens ducit ad modum automatorum eosdem intra immutabiles motus leges compingere, ut eam conditionem non poſſint non producere; adeoque ut contrarium fiat *permittit*, id eſt, non eo modo impedit, ut planè fieri non poſſit. Nam permiſſio illa non habet inſtar decreti poſitivi, ſed eſt pura negatio impedimenti indebiti. Decretum autem conditionatum non eſt ſimplex declaratio Legislatoria, ſeu regula, ad quam quis judicandus ſit; neque etiam eſt nudum ſignum, cui interna intentio non reſpondeat; Sed eſt vera, genuina, & ſincera declaratio internæ benignitatis, quam tamen non niſi certa ſub conditione exſerere decrevit, ſed ut hautquidquam contrarium decretum condiderit, quo minus ea conditio exiſtere poſſit. Per-
p. 13. git *Juriæus: hominem Legislatorem cupere & optare debere, ut homines juxta legem à ſe latam vivant, quo bene*

*ipsis sit; quia homo ex lege divina omnibus hominibus omnia bona optare & exhibere debet. Sed Deus ut sanctissimè ponit leges, sic liberrimè de futuris statuit, nec ullis tenetur legibus, nec ulla fatali necessitate constrictus est, nec tenetur ulli creaturæ aut homini bonum vel facere vel optare: de suo enim facit quod vult. Ideo cum summa libertate beneficia sua confert.* Quibus granum salis addendum est è *Matth. VII. 11.* Sed quid tum? Num ideo Deus summa cum libertate æternos cruciatus inferre potest, tantùm quia sic placuit? Sanè aliter de Deo judicat Abrahamus. *Gen. XVIII. 25. Absit à te, ut occidas justum cum injusto. Absit hoc à te, qui es judex totius orbis.*

§. 75. Probare inde conatur *Jurieus*, à Deo non prævideri futura contingentia, adeoque omnia è prævio Dei decreto provenire, & quamvis præscientiam in Deo prævium decretum præsupponere. Eo fine ita ratiocinatur: *Non possunt futura contingentia ab æterno præcognosci certo & infallibiliter, nisi in se aut in suis causis conspiciantur à Deo. Deum autem ante omne suum decretum non potuisse cognoscere futura contingentia nec in se,* De futuris contingentibus. p. 26.

p. 27. *nec in sua causa. Triplicem enim duntaxat modum inveniri in Deo res futuras cognoscendi. Primo res cognoscit in sua propria voluntate Deus, quia vult fieri. Vel cognoscit res in se, & extra suas causas, postquam jam existunt. Vel denique in earum causis, quatenus earum determinationem vidit ad talem effectum.* Quod primo & secundo modo Deus futura contingentia non prævideat, facilè admittitur, quia hæc assertio esset contradictoria. Cur autem tertio modo ea non possit prævidere hæc ratio additur, quia *causa adhuc sunt indeterminata.* Sed hæc nobis invalida videtur. Sicuti enim rectè ratiocinatur David; *qui oculum plantavit, is non videat? qui aurem plantavit, is non audiat?* ita & rectè colligitur; qui creaturæ libertatem dedit suas actiones determinandi, quare is hasce non prævideat? Nam Deus, qui est ab æterno semper immutabilis, omnia intuetur tanquam præsentia, adeoque & ab æterno intuetur actionem liberam creaturæ suæ, non quidem à se decretam, sed ab hac determinandam. Vid. *Psalm.* CXXXIX. 2. 4. 5. 23. 24. LXXXI. 13. *Actor.* XIV. 16. *Rom.* I. 24. Ac ut eo minor metus

ſit contradictionis, non dicendum eſt, Deum prævidere futura contingentia ut determinata, ſed ut à cauſa libera, quæ ſuam libertatem ab ipſo habet, ejusque directioni eſt obnoxia, determinanda. Unde futura contingentia, quæ Deus decreto ſuo non determinavit, quod ejusmodi decretum bonitati & juſtitiæ ſuæ repugnaturum eſſet, ab eſſe poſſibili ad eſſe futurum tranſeunt mediante determinatione creaturæ liberæ. Abſurde autem finguntur duplicia decreta, *operativa*, & *permiſſiva*, *eaque efficacia*; cum non obſcure contradictionem involvat, decretum *permiſſivum efficax*. Cum permiſſio Dei nihil aliud ſignificet, quam negationem prohibitionis certi generis & gradus. Unde Deus, quando decernit, permittere aliquod malum, non decernit, ut id malum utique fiat; Sed tantùm decernit, ſe non omnia media adhibiturum, quæ efficere poterant, ne id ullo modo fieri poſſet: quæ ipſe adhibere nec poterat, nec tenebatur ſalva actus iſtius moralitate, aut ſalva libertate ſemel conceſſa. Sed & nemini in mentem venit ſtatuiſſe, *peccata, quæ ſunt defectus, & privationes entium potius,* p. 28.

*quam entia, virtutem habere se ad existentiam determinandi.* Ast homo tanquam agens liberum peccata ad existentiam determinat. Cæterùm Deum, quatenus est conditor & conservator naturæ ac motus, concurrere ad id, quod in actionibus malis Physicum est, negari non potest: ut tamen eum motum Physicum non prædeterminet, seu in antecessum non definiat & decernat, ejusmodi motum Physicum utique debere existere, cui homo moralitatem additurus sit; sed ut in hominis libertate relinquatur, eum motum naturalem dirigere, & ad malum quodpiam adplicare.

De universali Dei benevolentia.

§. 76. Quæ circa *universalem Dei benevolentiam* erga genus humanum, *voluntatemque* illud *salvandi*, adeoque circa vulgatam illam distinctionem inter *voluntatem antecedentem & consequentem*, à *Jurieo* moventur, facilem habent solutionem, si istius sensus ritè explicetur. Merito enim fidem adhibemus dictis Sacræ Scripturæ, quæ asseverant, quod Deus mundum dilexerit, quod nolit mortem peccatoris, quod nolit quempiam perire. Quæ benevolentia non intra solam adprobationem & complacen-

tiam ſubſtitit, ſed etiam eousque efficaciæ proceſſit, ut Deus idonea & ſufficientia ad eum finem media ſuppeditaverit, & omnia, quæ ex ſua parte deſiderari poterant, præſtiterit, adeo ut, quod aliqui homines pereant, culpa non penes Deum, ſed penes ipſos homines ſit. Probe tamen obſervandum, quod & ſupra monuimus, Deum tanquam ens liberum non ubique extremam velut vim voluntatis, & potentiæ ſuæ exſerere; ſed eam ita moderari, ut creaturis liberis ſaltem circa non acceptationem ejus boni, quod offertur, libertas relinquatur, ita ut ſalvari quidem homo non poſſit niſi Dei beneficio, propria autem culpa pereat, eoque circa ſalutem ſuam votum quaſi negativum habeat. Unde Deus neque ſalutem hominibus conferre, nec perditionem ipſis ſupervenire abſolutè voluit, aut decrevit, ſed utrumque non niſi ſub conditione, ſi media ſalutis non impediverint, aut repudiarint. Unde ſi quis oblata ſalutis media reſpuat, & pereat, Dei voluntas antecedens non fit irrita; quia hæc non ulterius ſtatuit procedere abſolutè quidem, quam ad præſtationem & oblationem me-

diorum ſalutis; ac ſi talis, quem Deus univerſali benevolentia dilexit, poſt pereat, nulla in Deo mutatio contingit, quia eum non abſolutè ſalvari voluit, ſed ſub conditione, quæ ut exiſtere poſſit, Deus ex ſua parte, quantum ſufficeret, præſtitit. Voluntas autem conditionata, ſive conditio exiſtat, ſeu minus, non mutatur, ſed ſemper uniformis, & ſibi conſtans perſiſtit. Quibus poſitis non arduum

p. 53. eſt *Juriæi* argutias diſſolvere. Primum effugium eſt; *eam voluntatem generalem ſalvandi in Deo eſſe tantum Legislatoriam.* Atqui Deus ejusmodi dictis non inſinuat aliquam legem, ſecundum quam homines eſt judicaturus: ſed declarat, quid ex ſua parte ſit præſtiturus. Deinde ſi maximè daretur, quædam ejusmodi dictorum vim legis habere; certum tamen eſt, Legislatorem ſalva juſtitia non poſſe impedimentum adferre, quo minus lex ab ipſo lata impleri queat; nec ſubtrahere media, ſine quibus legi planè ſatisfieri nequit. Ad quæſtionem autem, an ea *voluntas Legislatoria dicat, & annexum habeat ſerium deſiderium, & beneplacitum omnibus ſalutem reipſa conferendi?* dicendum eſt,

quod sic: sed id beneplacitum esse conditionatum, non absolutum. Sanè ni serio Deus omnes ad salutem invitaret, ridicula foret oppositio in dicto *Matthæi* XXIII. 37. & similibus; *ego volui, sed vos noluistis.* Nam sine dubio Judæi serio nolebant. Quam inepta autem expostulatio esset; ego te non serio, sed dicis tantum causa ad Cœnam vocavi; sed tu noluisti. Ac si veteratoria illa distinctio *voluntatis signi* valere debeat ad eludenda dicta, quæ verbis ita perspicuis de universali benevolentia Dei, satisfactione Christi, & vocatione loquuntur; cur non & eadem valere debeat ad reliqua dicta particularia eludenda, & quod Deus per universam Scripturam Sacram nihil aliud agat, quam ut per suavia somnia hominibus illudat? Pergit *Juriæus* argutari: *Deum eam voluntatem, quam sine dubio ab æterno habuit, nunc vel habere, vel non habere.* Si prius dicas, erunt eodem tempore in Deo duæ voluntates contradictoriæ, nempe generalis illa voluntas omnes salvandi, & voluntas multos damnandi ob prævisam impœnitentiam. Sed jam alii monuerunt, voluntatem antecedentem non esse p. 54.

porrigendam ultra primam vocationem per Evangelium, & voluntariam contumaciam hominum, non autem extendendam esse ad extremum finem. Id est, Deus hucusque omnibus hominibus benevolus esse voluit, quatenus media salutis iis paravit, atque obtulit, sed actualem adeptionem salutis suspendit à non rejectione gratiæ. Unde nulla in Deo mutatio existit, si per culpam hominis iste finis secutus non est, quem Deus à conditione hominis potestativa suspenderat. Ulterius quærit *Jurieus:* *Cur,*
p. 55. *si Deus voluit omnes salvos fieri sub conditione fidei & obsequii, id non decreverit fieri pro voto? cum annexam conditionem ipse potuerit implere & dare. Cur non tantùm gratiæ contulit, quæ rebellionem voluntatis facillimè superaret, quod utique facillimè poterat?* Ad quæ respondemus: nobis de voluntate & dispositione Dei cognoscendum & judicandum esse ex verbo ipsius revelato. Cui frustra opponuntur ratiocinia in humano cerebro nata, per quæ homo Deum è suo sensu judicare præsumit. Nec eadem magis à cordatis probari possunt, quam audax illud pronuntiatum Alfonsi Aragoniæ

goniæ Regis; se longe concinniorem mundo structuram daturum fuisse, si Deo in creatione consiliarius adstitisset. Sufficiens tamen meo judicio ratio est, quare Deus prævisam non resistentiam pro conditione posuerit; quia Deus non voluit hominem ad instar machinæ in cœlum pertrahere; & quia per ejusmodi irresistibilem gratiam omnis moralitas in negotio salvationis tolleretur. Sed & ista quæstio longe majore jure in adversam partem retorqueri potest: Cur Deus, cum per absolutam voluntatem omnes salvare potuisset, aliquos tantùm, in se reprobis non meliores, irrevocabili necessitate ad salutem perducere, reliquos æternis cruciatibus addicere decreverit? Quærit ulterius: *Cur Deus ante lapsum non motus fuerit illa Philanthropia generali, ut decerneret, omnes homines immunes à labe servare, quo eos posset omnes felicitate donare?* P. 57.
Ast num quid desiderari in se passus est Deus, ni mensuram creaturæ rationalis, quæ moralitatis capax foret, transcendere vellet? Et si omnia ex eo metiri velimus, quod Deum facere potuisse judicamus; non minus omnes etiam in peccatum prolapsos,

quam paucos aliquos ex absoluto decreto salvare voluisset. Quærit denique: *Cur post prævisum lapsum, & post decretam lapsus permissionem Deus incipiat moveri voluntate omnes salvandi, ubi jam res est impossibilis juxta leges, quas Deus & sibi, & hominibus ponit.* Ad quæ reponimus, falso dici, Deum nunc demum moveri cœpisse voluntate salvandi omnes, (quæ sane ab initio fuit, non demum post lapsum quasi enata est,) ubi jam res est impossibilis juxta leges, quas Deus & sibi, & hominibus ponit. Quis enim dixerit, absolute impossibile esse, omnes salvari, aut impossibile esse, à quibusdam media salutis à Deo constituta non rejici? Aut quænam sunt illæ leges, quas Deus & sibi, & hominibus posuit, quæ necessitatem adferant, ut multi non possint non media salutis respuere? Mihi sane de his in Sacra Scriptura nihil lectum est. Ast *Juriæo* expeditior via videtur, omnes hasce quæstiones solvendi, si dicat; Deum post prævisum & permissum lapsum hanc posuisse legem: *Volo, ut omnes, qui crediderint in Filium meum mittendum, salvi sint.* Atqui maxime adhuc dubitari potest de æquitate ejus-

modi legis, si Deus ex absoluto decreto fidem illam non omnibus dare voluit, quæ ex naturalibus hominis viribus elici non potest. Sic igitur nihil obstare videtur, quo minus dicamus, generalem voluntatem Dei omnes salvandi, & hodie, & antea, & semper esse & fuisse in Deo.

§. 77. Cæterùm occurrunt in Sacris Literis dicta plurima, quæ universalem voluntatem Dei omnes homines salvandi declarant, v. g. 1. *Timoth.* II. 4. *Luc.* II. 10. *Joh.* III. 16. *Ezech.* XVIII. 23. 32. *Ezech.* XXXIII. 11. Quibus opponi solent alia, quæ benevolentiam Dei ad paucos restringere videntur. v. gr. *Rom.* IX. 15. 18. 21. *Jesa.* LIII. 17. *Psalm.* CXLI. 4. *Job.* XII. 20. *Marc.* IV. 11. 12. Ad isthæc singula, cujusque sede accurate inspecta, commodissimè responderi arbitramur, quod & à nostratibus Theologis passim factum videmus. Ubi & obiter addimus dictum *Rom.* IX. 4. de figulo commode posse explicari è *Sirac.* XXXIII. 10. *seqq.* ut similitudo illa de potestate figuli simili ultra temporalia non extendatur, circa quæ haut inviti absolutam Dei dispositionem agnoscimus. *Eccles.*

Demodo conciliandi dicta, quæ in hac materia sibi invicem repugnare videntur.

p. 62. IX. 11. Enimverò *Jurieus* uno ictu nodos istos dissecat, dum inculcat; *duplicem in Dei mente voluntatem, & in ejus ore duplicem esse sermonem. Uti autem illæ voluntates videntur sibi ipsis contrariæ; ita & sermones ad illas voluntates aptatos contraria planè sonare videri. Deum ut Legislatorem nunc velle & jubere omnes homines obsequium præstare mandatis, & per hæc vivere. At quatenus ab æterno prævidit, præscivit, decrevit, contrarium apud ipsum ratum & fixum est. Nec tamen Deum ideo sibi contrarium esse: sed per voluntatem Legislatoris dare normas, secundum quas agere homines teneantur, & secundum quas judicabuntur: per voluntates decretorum ordinare eventus, à se & in suam gloriam per omnia secula dirigendos.* Adeoque prioris classis dicta ad Legislatoriam; posteriora ad decretoriam voluntatem pertinere. Ad ista reponimus: esse utique discrimen inter legem, & decretum, inter Legislatorem, & decretorem. Iste enim jubet, ut aliquid ab alio fiat; hic constituit aliquid ipse producere, seu efficere, ut fiat. Sed hæ duæ voluntates nunquam sibi invicem repugnare statui debent. Legis-

lator enim humanus præsupponit vires præstandi in eo, cui legem fert. Unde si pure impossibilia præciperet, contra rationem & justitiam agere censebitur, & non nisi prætextum quærere, ut innocentem malo mactare queat; multoque magis si ipse efficeret, ne lex impleri posset, qui extremus in tyrannide gradus foret. Deinde in confesso est, conversionem hominis, & æternam salutem obtineri non posse, nisi ipse Deus vires suppeditet. Atqui si Deus arcano decreto statuerit maximæ hominum parti eas vires non suppeditare, ac nihilominus sub æternæ pœnæ comminatione jubeat omnes homines se convertere & credere, ludibrium committeret cum crudelitate conjunctum; perinde atque si aliquem jubeam turrim conscendere, & scalas subtraham. Unde dicta, in quibus adparens repugnantia est, non sunt invicem opponenda, sed dextre explicanda; cum bonitati & perfectioni Dei nullo modo congruat, aliud dicere & jubere, aliud arcana voluntate decernere. Denique si maxime unum & alterum dictum generale per modum legis possit explicari. v. gr. *Actor. XVII. 30.*

quædam tamen ejusmodi interpretationem plane non admittunt, sed simpliciter rem declarant, uti est v. gr. *Luc.* II. 10. *Ezech.* XVIII. 23. *Job.* III. 16. Et quæ ratio est, ut priora dicta magis è posterioribus, quam hæc ex illis explicari debeant? Aut quid figuræ magis prioris generis, quam posterioris dictis inest? Quomodo etiam norma, juxta quam justissimus Deus judicare velit, possit illud esse, quod Deus arcano cnnsilio haut futurum decreverit? Ac periculosum valde pronunciatum est: *vel*
p. 63. *unum locum, in quo Deus loquitur ut decretor, & in quo aperuit suam veram voluntatem, sufficere ad declaranda, & ad verum sensum revocanda ea loca, in quibus Deus loquitur ut Legislator.* Sane si talem Scripturas interpretandi regulam statuere fas sit, quare non profanus aliquis statuere possit, *Ecclesiastæ* c. III. 19. veram Dei voluntatem exprimi; reliqua omnia, quæ in Scripturis traduntur, à voluntate Legislatoria proficisci? Et cur non Deus arcanam, & seriam suam voluntatem circa hominum salutem æque crebro & perspicuè explicet, quam voluntatem illam Legislatoriam, jux-

ta quam homines judicaturus est? Cum hæc, si illa diversum statuat, non inanis modo, sed & iniquissima futura sit. Impero per modum legis cum comminatione gravissimæ pœnæ, ut aliquid ab homine fiat; & tamen in arcana voluntate decerno, ne id fiat; quæ arcana voluntas etiam facit, ut id plane fieri non possit. Itane perfectissimum ens agere verum est? Sed ut omnis scrupulus amoveatur, dicta Sacræ Scripturæ, quæ de voluntate Legislatoria, & decretoria loquuntur, sibi mutuo non repugnare, *Jurieus* aliquot observationes tradit. Earum prima est: *Promissiones & declarationes divinas circa salutem hominum fieri verbis generalibus, & vocibus universalitatis concipi, quasi omnes & omnia ambitu suo complectantur: at comprobari & compleri non nisi in electis.* Hæc regula certo sensu admitti potest, nempe Deum omnibus in universum salutem offerre sub conditione, si eam non rejiciant; quæ conditio in electis purificatur: non autem quod Deus non-electis salutem absolute haut conferre voluerit. Dictum *Joh.* XII. non loqui videtur *de omnibus hominibus*, sed de discipulis, p. 63.

quod patet ex *versu* 25. 26. Nec ex eo colligitur, Christum ex absoluto decreto discipulos ad fidem in ipsum traxisse, aut alios eodem modo ad hanc non pertrahere constituisse. E dicto quoque *Luc.* II. 10. colligi non potest, causam, quare non omnes vel Judæi vel alii homines gaudium perceperint, omni populo divinitus datum, esse aliquod absolutum Dei decretum. Ac inanis est ratio, quæ adfertur: quod *à potiori fiat denominatio*, & quod *pii sint pars humani generis potior, reprobi autem coram Deo sint nihilum, & nullius valoris.* Atqui aliud

p. 64. insinuatur *Matth.* V. 45. *seqq.* Secunda regula hæc est: *A propositionibus universalibus ad indefinitas facilem esse transitum, & has in illarum vicem surrogandas.* Sed tam violentam interpretandi rationem nemo gratis

p. 65. admittet. Tertia regula est: *Homines non aliter ad salutem potuisse vocari, quam vocibus universalibus ob vocatorum & vocantium conditionem.* Vocati *sunt homines, qui tenentur credere, quod verissimum est; scilicet ad eos omnes pertinere salutem oblatam, si credant, & obsequantur Deo vocanti.* Sanissima videtur hæc sententia, ni

cæcum ulcus lateret ſub verbis *ſi credant*, *& obſequantur Deo vocanti.* Quæ conditio ſive intelligatur ſenſu Amyraldi, ſive ſupponat abſolutum decretum, fidem non dandi omnibus, illuſoria eſt. Enimverò neque veriſſimum eſt, ſalutem ad omnes pertinere, quæ ex *Juriæi* mente maximæ hominum parti per abſolutum decretum præcluſa eſt; nec quiſquam ejuſmodi effato credere tenetur. Vocantes *ſunt pariter homines, qui arcana Dei ignorantes tenentur credere judicio* veritatis, *omnes quos vocant poſſe eſſe electos*, *& judicio* caritatis, *eos omnes revera eſſe electos.* Atqui vocantes iſti ignorant quidem arcanam Dei voluntatem circa ſingula individua electorum vel reproborum; norunt tamen utique eam arcanam voluntatem in univerſum, Deum ex mente *Juriæi* ex arcano & abſoluto decreto non omnes velle ſalvare. Unde judicio *veritatis* non poſſunt credere, omnes quos vocant poſſe eſſe electos, niſi antecedenter ad abſolutum decretum, quod tamen ab iſtis hominibus primo loco inter decreta Dei circa hominum ſalutem collocatur. Deinde falſum eſt, vocantem judicio *caritatis* teneri cre-

dere, eos omnes revera esse electos. Caritas enim ad nihil aliud obligat, quam ut neminem damnemus, nisi ex indiciis fallere nesciis, ac in mitiorem semper partem præsumamus, ac judicium Deo relinquamus. Ex his autem nequaquam consequitur, invitationem verbis universalibus esse concipiendam, ad mentem nimirum *Juriæi*, & sequacium. Nam ex nostratium mente sine dubio ea hoc modo facienda est. Ast si ad *Juriæi* sententiam quis magnam hominum multitudinen ita invitet: Deus quidem omneshomines vult salvare, si credant, & juxta hanc regulam omnes vult judicare. In arcano tamen suo consilio decrevit non omnibus fidem dare. Mihi autem non constat, quibus è vobis Deus ex absoluto beneplacito fidem & salutem dare decreverit, quibus non. Haut eo minus omnibus vobis salutem annuncio, vosque omnes ad fidem invito. Quod operæ pretium credimus ejusmodi concionatorem apud auditores suos facturum? Ast ex nostratium mente rectè & cum fructu dici potest; Deus neminem vestrum ex absoluto beneplacito rejecit, sed omnibus sufficientia salutis

media offert; quæ si non rejeceritis, omnibus vobis salutem reipsa collaturus est. Apud eum est salus vestra, sed perditio vestra apud vosmetipsos. Pergit *Jurieus: Si Deus ipse immediatè vocaret & invitaret homines ad salutem, sanè ipsi objici posset; quare tu vocas ad salutem hunc vel illum, quem tu certo scis ad te non pertinere?* Atqui Apostolus 2. *Corinth.* V. 29. dicit: *legatione fungimur nomine Christi, Deo adhortante per nos.* Unde mandata legati cum intentione mittentis conspirare debent: aliàs legatus iste dicetur missus ad mentiendum, & decipiendum alios. Nec arcana mittentis intentio à mandatis legato datis discrepare debet; aliàs enim mittens & legatum suum, & eos, ad quos hic mittitur, deciperet. Unde posita arcana voluntate, quæ à revelata voluntate discrepat, & *falsa, & fallax est ejusmodi invitatio: venite omnes; paratum est remedium omnibus ægrotantibus, & quicunque illud admittet, in integram sanitatem restituetur.* Nam quomodo admittent, si ex absoluto beneplacito decretum sit, non omnibus dare, ut eam medicinam admittere possint? Valde quoque dubium

est, an observatio à *Juriæo* tradita rem conficiat: *Scripturam sacram dictatam esse non tanquam ab ore divino immediatè profluentem, sed tanquam ab ore humano per omnia secula promanaturam, & tanquam per homines dispensandam.* Nam addendum est; ita tamen eam formatam, ut non modo ab hominibus intelligi queat, sed & ut homines inde Dei voluntatem percipiant; adeoque ut genuinus S.S. Scripturarum sensus ab homine perceptus cum intentione ac sensu Dei coincidat. Quin si arcanus Dei sensus à revelatione Sacræ Scripturæ discreparet, inutilis esset Scriptura, ac tantùm ad illudendos homines inventa. Unde falsum est, quod *Spiritus Sanctus non eo modo loquatur in Scripturis, quo loqueretur ipse Deus, si immediatè homines alloqueretur; sed ut homines alios homines alloqui debent.* Nam quomodo tanti momenti, & tam audax assertio probabitur? Sanè Deus cum Mose locutus est *de facie ad faciem*, id est, immediatè. Quo modo impressio à Deo in mentem Mosis à Deo facta sit, in medio relinquo. Id tamen dubitare non licet, quin ex ea revelatione Moses liquido, quid Deus vel-

let, perceperit. Sed & homines ita alios homines alloqui, ac verba ita formare debent, ut apud audientem idem ſenſus, qui apud loquentem eſt, exprimatur. Aliàs mendacium & deceptio committitur. Jejuna quoque eſt ratio, quare invitatio fieri debuerit verbis univerſalibus, licet intentio Dei tantùm particularis fuerit: *ut increduli reddantur inexcuſabiles, ne dicant; ſalutem non poſſibile fuiſſe admittere, quæ non fuit oblata.* Nam is demum inexcuſabilis eſt, cui omnia media ad aliquem finem fuere oblata, ac is ſolus in culpa eſt, quare ea non acceptaverit, eorundemque uſurpatione eum finem aſſecutus fuerit. Atqui ſi arcanum Dei decretum ab externa vocatione diſcrepat, hæc vocatio quibuſcunque verbis concepta ſit, hominem non reddet inexcuſabilem. Et ſi maximè incredulo de hoc arcano decreto non conſtet, eoque in judicio ad id provocare nequeat, ac confitendum ipſi ſit, ſe admiſiſſe, quæ damnationem mereantur; tamen cum Deus, è *Juriæi* mente, ex iis, qui in eodem luto hærebant, aliquos abſoluto beneplacito inde eripuerit, & ad eum finem efficacia media præbuerit; reliquos

p. 66.

per se non deteriores in eo luto perire siverit, nec pro iis servandis efficacia media, cum posset, destinaverit, saltem reprobi posita notitia absoluti divini beneplaciti erunt excusabiles. Denique *Jurieus* violento modo sensum particularem conatur impingere illi dicto; *Deus omnes homines vult salvos fieri.* Id enim effatum dicit inter vaticinia referendum: horum autem, quatenus in futurum prominent, *interpretes esse eventus, & ante eventus homines vix verum sensum eorum posse assequi.* Atqui negamus id dictum inter vaticinia referendum. Non enim dicitur, omnes aut aliqui homines salvi fient, aut salute in effectu potientur; sed quæ Dei voluntas in præsens sit circa hominum salutem, non quidem absoluta, sed certæ conditioni, certoque ordini alligata. De cætero ut indolem vaticiniorum vindicemus extra nostrum scopum est. Falsum quoque est, uspiam à Deo in Sa-
p. 67. cra Scriptura dici: *nolo omnes salvos fieri:* Nam vexatissimum illud dictum, *misereor, quem volo, induro, quem volo,* eum utique sensum non habet. Quo nec ipso exprimitur, Deum ex absoluto beneplacito, ac sine ullius

rei intuitu aliquos misericordia prosequi, alios indurare. Repetitio unius & ejusdem verbi non significat absentiam omnis respectus, sed constantiam, & immutabilitatem. Quod scripsi scripsi, non significat, Pilatum absque ullo respectu scripsisse, sed quod semel scripta retractare nolit. Add. *Jer.* XV. 2. Sic *Exod.* XXXIII. 19. *Deus miseretur, cujus miseretur*, id est, cui semel misericordiam promisit, eam bona fide præstat, nec retractat. Ac sane *miseretur cujus vult.* Nullius autem misereri vult, nisi credentis in Christum. *Joh.* VI. *Indurat, quem vult.* Neminem autem ex puro beneplacito indurare vult, sed tantùm eos, qui antegressa peculiari malitia id meriti sunt. Sic Pharaonis indurationem præcedebat immanis superbia, & contemptus Dei. *Exod.* V. 2. Ast producatur exemplum cujuspiam solo Dei beneplacito indurati, & qui non primam Dei gratiam proterve spreverit. Sic igitur posterioris generis dicta prioribus non contradicunt, nec per ista horum universalitas restringitur: sed utraque probe simul stare possunt; adeoque utraque *veram & genuinam Dei voluntatem de-*

*clarant*, neutrubi tamen absolutam, sed certis respectibus atque conditionibus circumscriptam. Unde sedatius poterat *Jurieus* scribere: *Res per se clamat, constat experientia, non omnes homines salvos fieri.* Ast ubi Deus dixit, aut promisit, omnes homines salvos fore? Subjungitur declamatio potius, quam disputatio, plus satis *libera*, & *confidens*, & è qua nihil relucet modestiæ, & reverentiæ, qua res sacras tractari par est. Sane in viis & consiliis Dei, queis hic in universum homines ad salutem perducere constituit, nihil est tenebrarum; sed plana & perspicua omnia. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui non credit, jam condemnatus est. Christus est lux, quæ illuminat omnem hominem, sed tenebræ non agnoverunt eum.* Oculos claudentibus etiam clara meridie tenebræ sunt. Sed circa providentiam Dei, quæ circa futuros eventus versatur, etiam ubi vaticinia luminis quid faciunt, multum tenebrarum esse immixtum, lubentes fatemur: sed quod ad præsentem quæstionem nihil facit. Ad extremum quæstionibus, sat quidem protervis ac violentis, evincere contendit, Deum utique nolle omnes

omnes homines ſalvos fieri. *Si Deus voluit ab omnibus cognoſci, & amari, quare non ita clare ſe manifeſtavit, ut nullus obſiſtere poſſet?* Atqui par lux proponitur piis atque impiis: ſed hi iſtam adſpernantur, nec, ut vim ſuam in ſuis mentibus exſerere queat, permittunt. Quod autem Deus ei lumini vim irreſiſtibilem non dederit, cauſa eſt, quia ſapientiæ & juſtitiæ ſuæ congruum duxit, in negotio ſalutis ita agere, ut homini ſua pernicies merito imputari poſſet. *Si Deus omnes voluit ſalvari, ſi voluit ab omnibus adiri, quare tot ſalebras, avia, & præcipitia reliquit in viis ſuæ providentiæ?* Reſponſio extat *Matth.* VII. 13. 14. *Actor.* XIV. 22. Ac in univerſum reponi poteſt illud effatum Dei apud Prophetam *Jeſai* LV. 8 9. *meæ cogitationes non ſunt veſtræ cogitationes; & meæ viæ non ſunt veſtræ viæ.* Et ita ampliter de ſapientia Dei perſuaſus ſum, ut eorum, quæ dixit & quæ fecit, rationem ipſi contra omnes *Juriæi* petulantes quæſtiones conſtare judicem.

De univerſali redemptione per Chriſto

§. 78. Acceditur inde *ad redemptionem per Chriſtum, de qua ſemper variantes fuiſſe ſententias* nemo gratis *Juriæo* credet. Eam *particularem* iſte

stum, & contra hanc primum Juriæi ratiocinium. afferere conatur, etsi certo sensu *universalem* quoque dici posse concedat non solùm *per meritum & sufficientiam;* sed & *respectu temporum* tam ante, quam post Christi adventum; respectu *gentium, ordinum;* quin & *respectu omnium hominum in genere.*

p. 73. Nam *Christum mortuum esse pro genere humano indefinite.* Puto per vocabulum *indefinite* innui, Christum non esse mortuum pro omnibus & singulis hominibus. *Imo omnibus hominibus aperuit portam vitæ, & possibilitatem salutis comparavit.* Jam credas, eum nobiscum velle sentire. Sed mox ad solitum ludibrium revolvitur: *Vere dicitur, omnibus hominibus patet aditus ad Christum: omnium hic est Salvator sub conditione fidei.* Nam iste statuit, Deum nolle omnibus fidem dare; quæ tamen donum Dei est, nec è naturalibus nostris viribus provenit. Igitur ea conditio fidei respectu reproborum impossibilis est. Quanquam nos eam propositionem; Christus est mortuus pro omnibus sub conditione fidei, non alio sensu admittimus, quam quod fructus ejus mortis per fidem hominibus adplicetur. Qui & sensus est nobilissimi dicti

*Joh*. III. 16. *Sic Deus dilexit* mundum, (quod vocabulum nuspiam solos electos notat,) *ut Filium suum* isti nempe mundo *daret*. Unde ex parte Dei adest universalis dilectio, adest universalis redemptio. Sed quia Deus homines ad instar machinarum in cœlum rapere non vult, requiritur acceptatio eorum beneficiorum, quæ fit per fidem, quam Deus omnibus offert. *Actor*. XVII. 31. & quam quilibet habere potest, modò oblatam à Deo non adspernatus fuerit. Inde *statum controversiæ* format Juriæus: *An Deus Filium suum dederit eo fine, ea intentione, eo proposito, ut expiationem faceret pro omnibus & singulis hominibus, an verò pro solis electis, salvandis, & credituris? Posterius affirmant, qui partes Synodi Dordracenæ tuentur.* Pro quibus isthæc argumenta adfert *Juriæus*. Primum desumitur ex omnibus probationibus præcedentis assertionis, quod Deus nolit salutem omnium hominum. Eo fine adducta est I. *Dei omnipotentia. Si Deus vellet salutem omnium voluntate beneplaciti, sanè eam efficacissimis mediis faceret, quia nemo potest resistere ejus voluntati.* Ast Deus circa procu- p. 74.

randam hominum salutem non utitur, sua omnipotentia, quam circa creationem universi adhibuit, ubi *dixit, & factum* est. Sed vult salvare homines in certo ordine, ut moralitati locus esse possit. Ac si negotium redemptionis ex omnipotentia deducendum esset, quid redemptore opus erat? II. *Qui vult finem, vult media, & conditionem: at Deus non vult conditionem, i. e. fidem & conversionem omnium hominum. Etenim si vellet illam conditionem, potens est corda hominum immutare sine ulla suæ justitiæ & misericordiæ læsione.* Circa hoc ratiocinium est notandum, quod Deus utique etiam media salutis velit: sed ea non vult hominibus per plenam virtutem omnipotentiæ suæ impingere. Ac potest aliquis velle finem, ut tamen non quævis promiscuè media, & quovis modo se habentia velit. Ac si Deus per solam potentiam heic concurreret, salva justitia & misericordia non posset ex æqualiter miseris & malis quibusdam nanciscendæ salutis media conferre, aliis ea abnuere. Quæ tamen *Juriei* est assertio. III. *Quia Deus non reliquit eam conditionem fidei & conversionis hominibus solis com-*

*plendam, sed in se sumsit, hominibus occurrere, eos prævenire, vocare tum intus; tum extra: ergo si hominum omnium salutem vellet voluntate beneplaciti, sanè omnes vocaret efficaciter.* Atqui Deus utique homines efficaciter vocat, sed eo efficaciæ gradu, ut ne à conversionis negotio moralitas tollatur. IV. *Si Deus hodie & nunc vellet salutem omnium hominum, vellet planè contraria: etenim hodie & nunc vult mortem æternam plurimorum ex prævisione finalis eorum impœnitentiæ. Igitur vellet propriè loquendo vitam & mortem eorundem eodem tempore, quod absurdum est.* Atqui hæ duæ voluntates sibi invicem non repugnant; cœna mea omnibus parata est; & nemo eorum gustabit cœnam meam, qui eam adspernatus fuerit. Benevolentia autem illa Dei in universum genus humanum perpetuo subsistere intelligitur, sed ejus effectus expirat, prout quis in finali incredulitate persistit; id quod tamen nullam mutationem, aut contradictionem in Deo importat. Nam voluntas ejus, qui sub conditione vult aut non vult, mutationem non subit, seu existat conditio, seu minus; quia voluntas ab initio alter-

nativa fuit. Atque ita ultrò corruit argumentum V. *Deus non potuit ab æterno & ante mundum conditum velle salutem omnium, quia Deus est immutabilis. At mutatus fuisset, si aliquando voluisset salutem reproborum, cum hodie eam nolit. Nullum est momentum in æternitate, in quo Deus concipi possit transire à volendo salutem omnium ad volendum mortem æternam longè plurimorum: quia in Deo nulla est successio, nulla mutatio.* Hæc difficultas tollitur, si consideretur dari saltem ordinem decretorum in signo rationis
p. 75. divinæ. VI. ratiocinium planè elumbe est; *providentiæ divinæ ratio luce tenebrisque mixtim sese exserit;* igitur Deus non vult omnium hominum salutem. VII. denique in medium adducuntur *loca Sacræ Scripturæ*, quibus *voluntas salvandi particularis* declarari statuitur. Inter quæ primo loco ponitur dictum *Genes.* III. 15. sed cujus genuinus sensus prave admodum distorquetur. *Statim post lapsum Deus discriminat genus humanum in duas partes, semen mulieris, & semen serpentis. Semini serpentis, i. e. improbis hominibus ruinam, perniciem, & mortem minatus. Et semen mulieris conte-*

*ret tibi caput. Semini mulieris, i. e. fidelibus, ipsisque solis promittit victoriam in Diabolum: ergo ipsis solis promittit salutem. Deus igitur non meditabatur totum genus humanum eripere serpenti; imo contra partem hominum ipsi adscripsit, & filiis Satanæ annumeravit.* Vix perversius quid excogitari potest hac interpretatione. Diabolus sub figura serpentis seduxit Evam, non improbi homines; unde non his, sed illi pœnam Deus dictitat. Semen mulieris non sunt fideles, sed eximium illud semen mulieris absque concursu viri productum: conf. *Gal.* III. 16. ab hoc Satanæ caput est contritum, non à fidelibus, quorum vires huc non pertingunt; etsi eximium id mulieris semen fratres suos aliquo modo in communionem eorum recipiat, quæ hic de eo dicuntur; qui tamen non proprius sensus, sed aliqua ejus sequela est. Nec per semen serpentis intelliguntur homines impii, quorum & capita à fidelibus haut conteri contingit, quin potius hos istorum persecutionibus, atque insultationibus in hac vita obnoxios esse constat. Nec dicitur, semen mulieris conteret caput semini serpentis,

ſed ipſi ſerpenti. Nec ullum veſtigium è ſcopo hujus dicti adparet, à Deo heic genus humanum in duas partes diſtingui; cum ſub vocabulo *mulieris*, inter quam & ſerpentem inimicitiæ ponuntur, omnes homines naturaliter è muliere prognati comprehendantur: per ſemen autem ſerpentis illi pravi genii, qui cum lucifero ceciderunt, intelligi queant. Tam pravo fundamento quæ ſuperſtruuntur ultrò corruunt. *Hoc poſito*, inquit
p. 76. *Juriæus, quod ſemen ſerpentis ſit malorum & impiorum cœtus, certum eſt, ad eos non pertinere Meſſiam, qui ipſis promiſſus non eſt.* Item, *ſi prima promiſſio ſalutis non fuit univerſalis ad omnes homines, ſed particularis ad filios Dei,* (vellem ſcire, ubi filiorum Dei in illo dicto fieret mentio,) *tum voluntas ſalvandi in Deo non fuit univerſalis.* Ne porrò quis hæc ratiocinia impugnet, ſanctio additur: *qui his refragatur, contentioſus eſt.* Sed quale elogium tribuemus ei, qui hoc modo Scripturas interpretatur? Ad *Actor.* XIII. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam* reſpondet *Georgius Calixtus* in *Expoſitione Literali* ad h. l. *Ordinati utique à Deo. Sed non ſequi-*

*tur, ergo ordinati absoluta Dei voluntate, quæ nullam rationem mediorum habuerit. Quin potius si Deus ad vitam eos ordinavit, respexit illum ordinem, quem ipse in conferenda salute statuit, & media, per quæ ad vitam vult perveniri, ita ut illi, qui hæc media repudiaturi non erant, verum iis obsequuturi, atque id ipsum Deus ab æterno præsciverat, ideo ad vitam illos ordinaverit.* Quos enim præscivit, eos etiam prædestinavit. *Rom.* VIII. 29. *Et* electi sumus secundum præscientiam Dei Patris, 1. *Petr.* I. 1. *Nempe vult Deus vitam conferre credentibus; fidem autem iis, qui verbum ejus non negligunt aut repellunt, sed audiunt, & recipiunt. Nunc autem ab æterno præscivit, quicquid fit in tempore. Præscivit itaque, quod Judæi repulsuri essent verbum, seque ipsos judicaturi indignos vita æterna, uti est versu* 46. *Gentiles contra audituros, gavisuros, & magnifacturos, uti est versu* 43. *Secundum hujusmodi igitur præscientiam hos ad vitam æternam ordinavit, illos verò præteriit, sive reprobavit. Tantùm igitur abest, hoc loco absolutum aliquod decretum stabiliri, ut potius ordo, quem in conferenda fide & salute, sicut in tem-*

*pore servat Deus, ita ab æterno statuerit, perspicuè declaretur.* Paucis, crediderunt, non quos Deus ad id ordinaverat, sed qui τάξει seu ordinationi divinæ obsequebantur, ad quam non solùm divinæ actiones, sed & quædam è parte hominum requiruntur. Ex dicto 1. *Thess.* V. 9. non sequitur Deum aliquos homines ordinasse ad iram, multo minus id fecisse ex absoluto quodam beneplacito. Si dicam; Deus nos constituit non ad vitam brutalem, sed ad socialem & honestam agendam; inde haut concluditur, Deum quosdam homines ad brutalem vitam destinasse. Dictum ad *Rom.* IX. 22. *Georg. Calixtus* in *Expositione Literali* ita explicat. Si autem Deus volens declarare iram & potentiam suam, *nempe quod iis declarandis detur occasio*, pertulit in multa longanimitate vasa iræ, *atque ita scil. induravit per accidens, illa enim* longanimitas improbos ad pœnitentiam ducit, *uti dicitur supra* c II. 4. *Atque eo etiam fine à Deo adhibetur, sed homines eam malitia sua convertunt in malum, eaque a basi thesaurum sibi recondunt iræ. Indurat itaque Dei patientia non per se & ex intentione divina, sed per acci-*

*dens & ob malitiam hominum. Eo autem ipso, quo dicitur Deus ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ sustinere vasa iræ, satis ostenditur, Deum non esse autorem illorum: neque enim μακροθυμίᾳ opus est ad tolerandum, quod ipsi fecimus, & ita esse voluimus. Et cum subjungitur,* adaptata in interitum, *non additur, à Deo adaptata. Beza igitur vim facit textui, quum ad hunc locum scribit:* Liceat cum Paulo dicere, quosdam homines à Deo opifice conditos esse ad interitum. *Rectius Theodoretus in hunc locum vasa iræ appellat eos, qui sua sponte tales facti sunt, sive, ut Theophylactus loquitur, à seipsis proprioque ingenio, adde etiam opera & instinctu Diaboli. Nam secundum Basilium iræ vas est, qui omnem in se Diaboli operationem quasi vas quoddam suscipit, & propter fœtorem, quem habet ex corruptione, ad nullum usum aptari potest. Dum itaque indurat, non quidem propriè & directè aut ex intentione, sed prorsus per accidens, perferendo vasa iræ, & tempus pœnitentiæ illis concedendo, quandoquidem illa ipsius patientia abutuntur, declarat iis iram & potentiam suam, ut hæc declaratio finis sit istius patientiæ non intentus, sed consecutus. Quoniam*

*autem contraria juxta se posita mutuo sese illustrant, ideo si vasa misericordiæ, quæ sanè ipse ad gloriam præparavit, respicias, finis est declaratio divitiarum, sive magnitudinis gloriæ ipsius erga ista vasa, ut dicitur versu* 23. *Nam quando in incredulos ostendit iram, magis elucet misericordia in credentes. Tota autem sententia in hunc modum est concipienda, si figulus sine injustitia, & citra alicujus querelam, & ex eadem luti massa, quæ eum non offendit, unum vas in decus format, aliud in dedecus: qui potest Deus injustitiæ argui, (hoc enim subintelligendum est, nam est sententia suspensa & incompleta) si vasa iræ tolerans nulla sua intentione ea induret, ita ut in illis jam præter intentionem ipsa bonitate induratis ostendat iram & potentiam suam, & magnitudinem gratiæ suæ erga vasa misericordiæ?* Hucusque Calixtus. Denique *Job.* X. 26. *seqq.* utique Judæi non esse ex ovibus Christi dicuntur; ast non ex absoluto beneplacito, sed malitiosam ob reluctantiam. Unde omnia isthæc dicta cum generali voluntate salvandi probe consistere possunt, quia illa voluntas non est absoluta.

p. 77. Quod si porrò *Juriæo* objiciatur, *Deum*

*utique habere voluntatem generalem salvandi homines, eoque posuisse illam legem universalem. Volo, ut omnes & quicunque homines Christum amplectantur, per fidem salvi fiant*: in promptu est ipsi sua distinctio inter *voluntatem legislativam & decretivam.* Media non præparari, nisi ad exsequendam voluntatem *decreti*, non ad exsequendam voluntatem *Legislatoris.* Ast isthoc *Jurizi* axioma nullo fundamento nititur. Sanè Legislatores humani facultatem præstandi præsupponunt; quam si abesse norint, & nihilominus legem sub pœna sanciant, apertam tyrannidem committere censebuntur. Deus autem, qui idem Legislator, & omnium rerum creator & arbiter est, salva justitia & bonitate sua nihil potuit lege præcepisse, cujus exsequendi quoque media non suppeditaverit. Unde si legem ferret, ut omnes in Christum credant, nec nanciscendæ fidei idonea media præberet, sarcastice hominibus illuderet, & inane prætextum iis damnandis quæreret. Unde falsum est, quod *Deus ut Legislator tantùm ponat leges, & earum exsecutionem & observationem committat hominibus*; sed idem etiam

vires implendi legem suppeditat, non quidem absolutè operaturas, sed in certo ordine, quem ipse constituit. *Deus quoque ubi aliquid vult per modum decreti, tunc disponit media suaviter, ut res decreta fiant;* prout tamen decretum est vel absolutum vel conditionatum, ita etiam mediorum efficaciam temperat, ut indoli ejus decreti respondeant.
p. 78. *Cum itaque*, pergit Juriæus, *illa voluntas generalis, volo quoscunque homines credendo salvos fieri, sit tantùm Legislatoria; mors Christi & ejus redemptio non est ordinata ad illius voluntatis exsecutionem, ut medium, nisi in quantum non potuit lex illa vim habere, quin Christus ante mitteretur & moreretur. Alioqui Christus non mortuus est eo fine, ut unusquisque hominum crederet, & salvus esset vi illius legis generalis. Nihil enim statuit illa lex de salute Petri vel Jacobi, vel cujusvis, sed tantùm ponit normam, secundum quam Petrus & Jacobus judicabuntur.* Obscura sunt ista, & intricata; sed si ritè extricentur & digerantur, nihil valoris contra nostram sententiam habent. Nostra Ecclesia docet, quod Deus quoscunque homines salvos facere voluerit

per fidem in Christum, id est, è damnatione per lapsum contracta eripere non nuda remissione peccatorum, sed interposito lytro; id quod in morte Filii sui constituit. Sed ejus mortis efficaciam non eo se modo exserere voluit, uti v. g. sol virtutem illuminandi exserit, qui justis & injustis, etiam nolentibus, aut de autore beneficii non cogitantibus, lucet: sed ex parte hominum ordinavit medium ληπτικὸν, seu per quod istud acceptatur, fidem, quam etiam hominibus offert, sed morali, non Physico aut Mechanico modo, ut saltem penes hominem facultas rejiciendi sit. Atque ex hujus fidei acceptandæ aut rejiciendæ prævisione in signo rationis divinæ decreta circa singulos homines salvandos conduntur. Sic ergo mors Christi ex parte Dei est universale medium salvandi homines, citra quod Deus nemini salutem conferre vult. Sed quia invitis salutem obtrudere non vult, ea sola non est medium, ut singuli homines actu salventur; sed ex parte hominum requiritur medium acceptandi & adplicandi id beneficium, nempe fides; quæ cum non sit quorumvis *2. Theſſ. III. 2.* inde à Deo peculiaria decreta

condita intelliguntur circa salvandos singulos. Unde rectè dicere possumus, Deum absolutè voluisse mortem Christi tanquam medium salvandi homines ex sua parte; sed non absolutè voluisse fidem tanquam medium ex parte singulorum hominum, quibus facultatem resistendi reliquit, ut actus isti intra morales censeri possent.

Secundum Juriæi ratiocinium.

§. 79. Secundum ratiocinium, quo *Juriæus* universalem per Christum redemptionem impugnat, tale est. *Destinatio ab æterno, seu illa voluntas, quam Deus habuit ante mundum conditum redimendi homines per Christi mortem, est eadem cum ea voluntate, quam Deus habuit eo momento temporis, quo Christus moriebatur, & secundum consilium divinum redemptionem humani generis peragebat.* Ratio connexionis adducitur, quia *quæcunque fiunt in tempore per voluntatem Dei, fiunt per eandem voluntatem, qua ea voluit ante omnia tempora. Deus enim non est mutabilis; Deus non aliam habet voluntatem, quando decernit, & aliam, quando operatur & exsequitur.* Atqui voluntas Dei eo momento, quo Christus mortuus est, non potuit esse generalis ad redemptionem generis huma-

P. 79.

*humani, i. e. omnium & singulorum hominum.* Ratio est, quia *Deus ab aeterno condidit decreta de singulorum hominum aeternis fatis; eoque cum Deus, quo tempore Christus patiebatur, jam ab aeterno decreverat Petrum & Jacobum damnare ob praevisam eorum impoenitentiam: igitur tunc non potuisse in Deo esse voluntatem redimendi & expiandi peccata Petri & Jacobi per mortem Christi; nisi velimus fingere in Deo duas voluntates contradictorias, & se mutuo destruentes.* Enimverò decreta, quæ in Deo ad modulum nostræ rationis concipiuntur, non sunt invicem opponenda, sed subordinanda; nec cogitandum, quod priore loco ponitur planè esse completum, & quod posteriore loco ponitur, priori superaddi. Sed omnia uno quasi complexu ita disposita sunt concipienda. Unde universale decretum misericordiæ, & mortis Christi non exhaurit omne consilium Dei de nostra salute, sed & acceptatio aut rejectio ex parte hominum in considerationem venit. Ea voluntas Dei immutabilis manet ante executionem, & post eam, quod in Deo ejusmodi temporis successio non fit, uti in crea-

turis. Nec voluntas Dei, quæ tempore passionis fuit, ab ea discrepat, quæ ab æterno fuit. Nam efficacia mortis Christi statim cum promulgatione fœderis post lapsum se exserere cœpit, sicut ea ab exordio mundi exposita esset ad salutem omnium, qui eam amplecti non neglexerint. Et cum ea mors in se infiniti valoris fuerit, nihil ei detrahi poterat, quo tempore ea mors contingebat; uti fieri potest circa ea lytra, quorum pretium in partes dividi potest. Sic ut simile hoc, quo tantopere se commoveri di-
p. 80. cit *Jurieus*, valdè sit dissimile. Et qui seriam voluntatem habet alicui bonum quodpiam conferendi sub conditione acceptationis, ille hautquidquam duas voluntates habet.

Tertium ratiocinium Juriæi. §. 80. Tertium *Juriæi* ratiocinium est: quod *quo tempore Christus mortuus est, jam IV. M. anni præterierant, quo spatio plerique, utpote in Atheismo constituti, extra fœdera positi in æternum perierant: adeoque major pars damnandorum jam actu pœnis æternis addicta erat. Atqui cum ex inferno nulla sit redemptio, non potest non inanis esse Christi pro istis antea damnatis passio, id quod absurdum est.*

*Monstro quam somnio similius solvere pretium pro vita eorum, qui jam ultimo supplicio affecti sunt.* Isthæc difficultas solvitur, si consideretur, passionis Christi meritum esse infiniti valoris, adeoque in certas partes non divisibile; sicuti v. g. magna aliqua summa pecuniæ in certos millenarios, certas centurias dividi potest; cui ex adverso certæ rei pretium exæquari, vel definiri potest, quota parte unum excedat alterum. Unde si res in se infiniti pretii præstita sit pro alia re, quæ istius valorem haut æquabat, aut exhauriebat, non ideo aliqua prodigalitas, aut inutilis pretiosæ rei profusio accidisse dici debet. Quin si meritum Christi spectaret ad certam hominum partem, adeoque huic esset proportionatum, ut ulterius non porrigeretur, hinc esset finitum; cum tamen vel unius hominis redemptio vires humanas superet. *Psalm.* XLIX. 8. 9. Igitur licet mors Salvatoris demum in plenitudine temporis contigerit; tamen ex vi fœderis, quod Deus post lapsum cum protoplastis iniit, ea vim suam retro quoque exseruit, eoque quicunque damnati post sunt, perierunt ob incredulitatem, & quod in

nascendum mundi Salvatorem fidem non collocarunt. Unde agnus dicitur occisus ab origine mundi. *Apoc.* XIII, 8. Eoque ad universalem Dei voluntatem omnibus salutem conferendi adstruendam sufficit, quod Deus ab initio mundi omnibus viam ad salutem aperuerit, & quod hominum perditio non ex absoluta Dei voluntate, sed propria istorum culpa salutis viam negligentium contigerit. Et cum post infiniti pretii lytrum fuerit repræsentandum, nihil ei decerpi aut subtrahi potuisse, etsi ejus fructus multi in antecessum sese incapaces reddiderunt.

Quartum ratiocinium Juriæi de vocatione. p. 86.

§. 81. Quartum *Juriæi* ratiocinium sumitur à vocatione, quæ ex ipsius mente certo & indubitato est particularis. Atqui si redemptio per Christum universalis foret, vocationem quoque talem esse oportere. Eo fine adducit dictum Pauli *Rom.* X. 14. *Quisquis invocabit nomen Domini, salvus erit. At quomodo invocabunt, si non credant? quomodo credent, si non audiant? quomodo audient, si nullus sit præco; & quis erit præco, nisi mittatur?* Ex quo sat quidem audacter concludit; *gentes, ad quas nulli præcones missi sunt, non debere nec teneri am-*

*plecti Evangelium, nec posse salutem consequi per Christum, nec puniendos esse propter rejectum Christi sacrificium.* Circa isthæc tradita non unum est nota dignum. Cur enim *Jurieus* d. l. *Rom.* X. omisit sequentem versum 18. *Sed dico, an non audierunt? Atqui in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum. Psalm.* XIX, 5. Deinde non est, quod *Jurieus* tanto cum supercilio rejiciat id ratiocinium, quod nostrates ex cap. I. & II. *ad Romanos* petunt, quasi ex contemplatione operum divinorum tantùm via aperiatur ad agnoscendam æternam ipsius potentiam. De Christo autem, & redemptione per hunc facta ne verbum quidem extare. Nam è notitia illa per lumen rationis adhuc superstes comparanda utique cognoscere potuerunt, idololatriam non esse cultum Majestate Dei dignum. Potuerunt quoque agnoscere, se ad cultum Deo dignum teneri, à quo tot beneficia quotidie accipiant. Igitur cum verus Dei cultus semper in conspicuo loco viguerit, ac olim Hierosolymitanum Templum longè lateque nobilitatum fuerit, ac post Evangelium

celeberrimis locis prædicatum, ejusque fama late dedita fuerit; debebant utique citra præjudicium, & animo non prius in contrarium obfirmato inquirere, quid solidi doctrinæ Hierosolymis traditæ, & ab Apostolis prædicatæ subesset. Vid. *Deut.* IV. 6. Sic Regina Arabiæ, quæ è longinquis locis veniebat ad cognoscendam Salomonis sapientiam 1. *Reg.* X. 1. condemnabit in extremo judicio eos, qui Christum neglexerunt majorem Salomone. *Matth.* XII. 42. *Luc.* XI. 31. *Conf. Actor.* VIII. 31. *seqq.* Neque verò credendum est, ad universalitatem vocationis requiri, ut peculiaris præco in singulas urbes, singula oppida, singulos vicos, singulas domos circummittatur. Sicuti nec idem ad promulgationem legum humanarum requiritur, quarum obligatio tamen à promulgatione demum incipit; sed ubi semel publicatio edictorum, more solito facta sit, ignorantia deinceps frustra allegatur. Eoque non necessarium est iis, qui universalem vocationem adstruunt, demonstrare, per quos homines, quo die & Consule Evangelium in omnibus & singulis locis orbis habitabilis prædicatum sit;

ſed ſufficere illis poſſunt univerſalia dicta v. g. *Marc.* XVI. 15. 20. *Luc.* XXIV. 7. *Rom.* X. 28. Etſi inficias ire non poſſimus, Deum in diſpenſatione ejus vocationis ſæpè tali modo procedere, cujus cauſa noſtræ rationi perſpecta non ſit; quam tamen vel idonea ratione deſtitui, vel bonitati ac juſtitiæ ejusdem repugnare nemo dixerit; nec ideo, quia œconomiæ divinæ rationem non ſemper reddere poſſumus, ſtatim ad abſolutum decretum eſt decurrendum. Sic in aperto eſt, quosdam homines repetitis vicibus à Deo ad pœnitentiam vocari; quosdam, ubi primum impulſum repudiarint, poſt ſuis libidinibus relinqui. Id quod & circa integros populos ac civitates obſervatum eſt. Quibusdam enim Evangelium iteratis vicibus prædicatum, nec prius ceſſatum eſt, quoad iſtud radices egerit. Alicubi repudiata ſemel oblata gratia nunquam poſt reverſa fuit. Aliquibus gentibus maturius, aliquibus ſerius Evangelium annunciatum eſt. Quorum omnium noſtrates hanc rationem reddunt, quod Deus prævíderit, ſi maximè maturius, aut ſæpius iſtis gratiam ſuam offerri curaſſet,

eandem tamen ab iſtis repudiandam, eoque non niſi damnationem eorum inde augendam fuiſſe. Et ſi hæc ratio alicui non ſatisfaciat, ea tamen divinæ juſtitiæ & bonitati conſtare poteſt, ſi maximè nobis eadem perſpecta non ſit. Sic Tartari utique, Indi, Sinenſes, Americani à Noacho deſcenderunt, cujus filii cum vera Dei cognitione imbuti fuerint, horum quoque poſteri eandem poſt diſperſionem gentium ſervare potuerunt. Quod autem Deus repetitis vicibus ſemel repudiatam ſuam gratiam hominibus obtrudere velit, id nullibi eum promiſiſſe lego. Exuberantem illam gratiæ repetitionem alicubi eum exercuiſſe, alicubi non exercuiſſe novi: ejus diſcriminis rationem ſi maximè ego ignorem, Deum tamen in omnibus ſuis actionibus juſtum eſſe agnoſco. Nec tamen ideo iſta ad abſolutum aliquod beneplacitum referre neceſſum eſt; cum Deus facere poſſit ſupra id, quod capimus & intelligimus, quem tamen ſemper omnia bene, omnia juſte facere profiteri debemus: Circa ſcommata profanorum hominum elidenda non opus eſt, ut pius ſit ſolicitus. Captivanda eſt ratio

ſub obſequium fidei; ac tutius nobis eſt, ſimplicitatem Sacræ Scripturæ, quam commetitiam ſubtilitatem male feriatorum hominum ſequi.

§. 82. Quinto loco ita ratiocinatur *Juriæus. Si Chriſti redemptio eſſet univerſalis, ſalus quoque eſſet univerſalis.* Eum enim meruiſſe hominibus non ſolùm remiſſionem peccatorum & vitam æternam, ſed & fidem, gratiam, pœnitentiam, converſionem, virtutum habitus, & bona opera; adeoque conditionem quoque acceptationis, nempe pœnitentiam & converſionem. Unde ſequi, omnes homines ſalutem conſequi. Sed ad iſta facilis eſt reſponſio. Vult Deus homines ſalvos fieri, non tamen irreſiſtibili modo, uti in regno naturæ operatur, & ubi leges motus locum habent; ſed in certo ordine, ac ut negotio converſionis moralitas conſtet, utque adeo culpa damnationis penes homines eſſe poſſit. Adeoque ſalutis & converſionis negotium non eſt metiendum ex omnipotentia Dei, aut ex eo modo, quo Deus uſus eſt in creatione, ubi tantùm dixit, *fiat*, & factum eſt. Sed in converſione hominum Deus pacta init, invitat, monet,

Quintum Juriæi ratiocinium. p. 91.

rogat, minatur, facultate resistendi penes hominem manente. *Psalm.* XCV. 8. Unde meruit sanè Christus, ut homines efficaciam suæ mortis acceptare queant, ut tamen eos non cogat, nec indispensabili necessitate ad eandem acceptandam disponat. Ac ludit *Jurieus* vocabulo *gratiæ necessariæ*. Christus meruit sua morte gratiam necessariam ad salutem, id est, sine qua salus obtineri seu adprehendi non potest; sed non ejusmodi gratiam, quæ irresistibilem necessitatem adferat. Certum quoque est, mortem Christi ad omnes spectasse; sed ejus fructu magna pars propriam per culpam excidit.

p. 92.

Sextum Jurixi ratiocinium. p. 93.

§. 83. Sexto loco *Jurieus* argumentatur. *Deum in anteceßum novisse, plurimos homines perituros ob non præstitum obsequium legi naturali cordibus gentilium inscriptæ; plurimos Evangelio non credituros. Utrisque destinationem redemptoris fuisse inutilem. Esse tantùm tres fines, ob quos Deus misit Redemptorem; 1. ut declararet suam Philanthropiam. 2. ut fideles salvaret. 3. ut cæteros, qui hanc salutem contemnunt, redderet inexcusabiles. Respectu autem primi finis omnino inutilem esse*

*universalem redemptionem; quia Philanthropia Dei sufficienter declaratur per electorum hominum salutem. Sunt enim pars optima & potior generis humani, & in iis sufficienter completur, quidquid toti generi humano promissum est.* Atqui num Deus sufficienter Philanthropiam suam declararit, non judicari potest aut debet ex eo, quod *Juriæo* videtur, sed ex eo, quod Scriptura nobis revelavit, è qua sola de hoc negotio constat. Ea autem non dicit, ita Deus dilexit *electos*, sed ita dilexit *mundum.* Ac dignum bonitate Dei visum fuit universalem redemptionem fieri, ut exuberantem vim gratiæ suæ testaretur; quæ ideo non magis inutilis habenda est, quod multi pereunt, quam pluvia talis dicenda est, quæ in loca fœcunditatis incapacia cadit, aut quod sol lucem tam ubertim in omnes partes spargit. Non etiam necessarium est ad nostrum institutum disquirere, num Philanthropia in Deo sit *affectus necessarius*, an minus. Sufficit enim, quod Deus amantem hominum se declararit, & quidem ut eam affectionem luculentiore specimine adversus homines, quam adversus Angelos declararit,

dum *non Angelos, sed semen Abrahæ adsumpsit. Hebr.* II. 16. Quæ tamen Philantropia, quia conjunctam habet justitiam, effectibus suis modum statuere potest, ubi ipsa proterve repudiatur; quia Deus non obtorto collo homines in cœlum rapere, sed morali modo perducere vult. Addit *Jurieus; redemptionem universalem esse planè nullius usus ad manifestationem Philanthropiæ, quia nulla est misericordia offerre salutem ei, qui non potest accipere.* Atqui Deus omnibus tantum gratiæ, quantum sufficit ad conversionem, offert, ac reipsa præstat, modo eam ultrò non respuant. Fatetur tamen *Jurieus, impotentiam illam accipiendi non esse naturalem*, qualis est v. g. lapidum, arborum, aut brutorum, *sed moralem, attamen insuperabilem, & quæ non nisi divina gratia vinci potest.* Quæ sano sensu admitti possunt. Est utique insuperabilis hominum impotentia ad sui conversionem, scilicet per vires in corrupta hominis natura superstites; sed quæ vinci potest per gratiam Dei omnibus obviam, nisi eam malitiose neglexerint, aut rejecerint, sed quæ tamen moralitatem actionis relinquit. Et accuratè à qui-

busdam observatum est, uti duplex in homine corruptio datur, congenita, sive à communi labe promanans, & à singulis contracta: ita ad priorem illam sufficere gratiam Dei, quæ vocationem semper comitatur; sed à singulis hominibus contractam morum corruptionem non semper per primum gratiæ impulsum superari, eandem tamen per studium hominis vinci atque emendari posse, ac debere. Unde & videmus, Evangelium diversis hominibus eodem tempore prædicatum diversos exseruisse effectus, prout hi pravis habitibus accersitis imbuti fuerunt. Vid. *Actor.* XVII. 21. 32. 34. Qui tantùm variarum auditione rerum animum mulcere, ac tempus terere consueverant, Paulum blateronem vocant. Minus corrupti vacillabant: qui nihil contracti obicis attulerant, convertebantur. Sic *Act.* XXIV. 25. 26. Pauli sermo apud Felicem nihil proficiebat, quia is nihil nisi pecuniam captabat. Sic *Actor.* XXVI. 25. 26. Festus præjudicio superstitionis Romanæ penitus erat imbutus. Agrippam gratia propius tangebat, ni existimatio obstitisset, & magnificentia illa externa, quæ cum

concione Pauli haut consistere posse videbatur. Nescio quoque, unde *Juriæo* constet, Deum gratiam suam *nec Tartaris; nec Sinensibus conferre velle.* Sanè sunt integræ Tartarorum gentes, quæ fidem Christianam profitentur, ac Moscorum imperio subsunt. Nec omnes Sinenses Christianam Religionem abhorrent, ni omnes Jesuitarum relationes mendacii arguere velimus. Secundus missi redemptoris finis, quem *Juriæus* statuit, *salus piorum*, verus est, sed non adæquatus. Circa tertium finem, quem *Juriæus* tradit, *reddere impios inexcusabiles*, observandum, id duntaxar dici de naturali notitia *Rom.* I. 20. 21. Nusquam autem dici, Salvatorem omnes redemisse, ut impii sint inexcusabiles, id est, ut fiant deteriores, ac miseriores. Quin prave dicitur, finem missi Salvatoris esse, ut reprobi sint inexcusabiles. Nam tali fine aliquid facere est ejus, qui aliis male vult, atque insidias struit. Ipsa autem inexcusabilitas, ut ita dicam, contemtum, aut neglectum oblatorum beneficiorum ultrò sequitur. Ast rectè dici potest, data universali redemptione Deum è sua parte nihil omisisse ad

conversionem hominum, sic ut hi causam, quare conversi & salvati non sint, haut quidquam in Deum possint rejicere: cum revelatio de salute per Redemptorem adquirenda semel atque iterum universo generi humano facta sit; quam notitiam quod posteri interire siverint, Deus extra culpam est. Impii autem, quibus doctrina de salute annunciata est, rectè essent excusabiles, si ex absoluta & æterna Dei destinatione ad congenitam cordis duritiem nullum illis remedium paratum esset. Septimo loco *Jurieus* adducit dicta *Joh.* X. 11. 15. *Bonus Pastor ponit vitam pro ovibus suis. Ego pono vitam pro ovibus meis. Joh.* XVII. 9. 20. *Oro te pro istis, quos dedisti mihi, non pro mundo; sed & pro iis, qui credituri sunt in me per eorum prædicationem.* Circa quæ, & similia dicta in universum notandum: ex uno alterove dicto non posse omnia deduci, aut id reliquis omnibus opponi debere, sed omnia inter se dextre esse digerenda. Ac allegata dicta non continere totam œconomiam nostræ salutis, sed certam duntaxat ejus particulam. Ac priore quidem dicto Christus ostendit, se longè fideliorem esse Pa- p. 95.

ſtorem, quam ſint illi, qui tunc ſe Paſtores populi ferebant, quibus id dictum opponit. Quales deſcribuntur *Jer.* XXIII. 1. 2. *ſeqq. Ezech.* XXXIV. 2. *ſeqq. Matth.* XXIII. 2. *ſeqq.* Nec ulla hoc loco adparet excluſiva; nec negatur, per Salvatorem non etiam lytrum fuiſſe partum pro iis, qui ſua culpa pereunt. Sic in altero dicto negat duntaxat Chriſtus, ſe valedictorio ſuo ſermone orare pro mundo; non negat autem, ſe ſacrificium exhibitum ire pro toto mundo. Sic ex eo, quod Chriſtus pro diſcipulis, & per eos convertendis orat, ut Deus eos conſervet in veritate, ut ſint unum inter ſe, non ſequitur; mortem ipſius non pertinere ad alios. Sicuti non ſequitur; Præceptor morigeris ſuis diſcipulis valedicendo benedictionem impertit; ergo pro immorigeris diſcipulis ſufficientem operam non impendit. Ac ſi maximè dicto loco Chriſtus pro impiis non oravit, id tamen fecit in cruce. *Luc.* XXIII. 34. *Jeſ.* LIII. *ult.* Neque verò oratio Chriſti à Deo conſtituta eſt expiatio pro peccatis mundi, ſed ipſius paſſio & mors. Nec ſequitur; Chriſtus tunc non oravit pro reprobis, ergo non voluit eorum ſalu-

salutem in certo ordine parandam. Qua autoritate autem *Jurieus* probabit effatum suum: *voces universalitatem significantes non esse opponendas, quod illud* omnes *præfixum prædicationi redemtionis nullum creet præjudicium adversus particularem Dei gratiam*, Quippini? Aut quasi hæc dicta minus sint diserta sine ambiguitate & æquivocatione, quam illa, in quibus iste arcem causæ suæ collocat; ubi tamen de eo, quod in quæstione est, ne verbo quidem mentio fit. Denique ex nostratium Hypothesi sententiam nostram destruere conatur *Jurieus*. Dicit, apud nos vulgare & tritum esse: *Christum esse mortuum pro omnibus & singulis hominibus non absolutè tamen, sed sub conditione fidei.* Ast ego contra dico, nemini nostratium hanc Thesin in mentem venisse, quæ & nullum, aut absurdissimum sensum habet. Quid est enim; Christus est mortuus pro omnibus non absolutè, sed sub conditione fidei? Sed ea est nostra sententia; Christus est mortuus pro omnibus; sed mortis ejus fructum reipsa tantum percipiunt credentes. Fortasse tamen *Jurieus* præ oculis habuit eam nostratium p. 96.

Thesin: Deus ad vitam æternam elegit homines non ex absoluto beneplacito, sed sub conditione prævisæ fidei; quæ ab ista Thesi, quam is nostratibus affingit, toto cœlo differt. Nusquam etiam Deus dixit: do filium meum pro omnibus sub conditione fidei. Non autem repugnare arbitramur perfectioni divinæ, serio velle salutem omnium, cui reipsa nanciscendæ certus ordo sit præfixus, eamque pretio pro omnibus valituro redimere, & tamen præscire, quod non omnes eam sint adepturi, & quinam hi sint: quia Deus in Sacra Scriptura, è qua sola isthæc addiscuntur, disertis verbis ita exposuit. Simul optimè congruere arbitramur bonitati quidem divinæ, ut ne ullum hominem absque remedio salutis nanciscendæ relinquat; sapientiæ autem, ut non absoluta ex potentia heic procedat, sed tantum facultatis hominibus relinquat, ut huic negotio moralitas constare queat, utque adeo homines circa salutem suam votum quasi negativum habuisse judicentur.

Loca Scripturæ vin-

§. 84. Coronidis loco *Jurieus* eludere conatur dicta Scripturæ, quæ à nostratibus particularismo opponun-

tur. Sed si ejusmodi cavillationes locum habent, non adeo arduum erit Theologiam comminisci, cui totus S. Scripturæ contextus repugnet, & eam nihilominus velut ex isthac extructam venditare. Sicuti Sociniani ab eo principio, quædam dicta per distinctiunculas, & jejunas interpretationes eludendi, eo usque progressi sunt, ut totam religionem Christianam mysteriis exuerent, & in moralem Philosophiam converterent. *Quando Christus dicitur Servator mundi, Salvator hominum vel omnium hominum, hoc debet intelligi indefinitè, non universaliter.* Ast unde imperiosum illud *debet* adstruit *Juriaeus?* Cur non potiori jure nostri dicent; id debet intelligi non indefinitè, sed universaliter, ex oppositione, ex contextu, & totius Scripturæ tenore? Sic & quia *Jurieo* ita placet, vocabulum *σωτὴρ* 1. *Tim.* IV. 10. non significare debet *Servator*, sed *conservator* seu *custos*, qui corporalia pericula averruncat. Ac si maximè id vocabulum eo loco hanc significationem admittat, num ideo omnibus aliis locis *σώζειν* idem erit, quod è periculis corporalibus liberare, & *σωτὴρ* talem, qui dicantur. p. 98.

ejusmodi liberationem seu conservationem præstat? Ad dictum 1. *Joh.* II. 2. eludendum adhibetur jejuna cavillatio, *Christus est propitiatio non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi peccatis*; id est, non tantùm nostrum fideliùm, qui nunc & hodie vivimus, sed omnium retrò & post seculorum. Sed ostendat vel unicum locum *Jurieus*, ubi hoc vocabulum eum sensum habet. Et cur vocabulum *mundi* Joh. III. 16. alia cavillatione eluditur, & ad distinctionem voluntatis Dei *Legislatoriæ* confugitur? Qua hæc distinctio non pertingit, demum *ἀνθρωποπάθεια*, & *voluntas signi* fingitur. Is interpretandi modus si recipitur, quid certæ doctrinæ è S. Scriptura petere licebit? Ut enervetur dictum *Jes.* V. 4. *Quid faciendum erat vineæ meæ, quod non feci?* nimirùm id explicandum est de *mediis externis, beneficiis, castigationibus, compellationibus, non de gratia salvifica & interna.* Ast quam lepidus erit sensus istius loci, si dicamus, in simili illo adhibita fuerunt media efficacia ad producendam fertilitatem; sed in eo, quod per simile vineæ insinuatur, nempe in populo Judaico dicis tan-

p. 99.

tum causa adhibita fuere media efficacia, virtute cassa, illusoria. Ad cavillandum dictum *Matth.* XXIII. 37. nova subtilitas adhibetur, ne credamus Deum cum hominibus loqui, uti bene morati homines inter se loquuntur. Dicit; *si loquebatur hæc* ut homo, *nil vetat, quin significet verum affectum, quo revera sæpissimè cupivit salutem Judæorum.* Sic ergo quæ Christus nobis locutus est ut homo; ea pro serio dictis haberi possunt. *Sed si loquitur*, ut Deus, *id intelligendum est de voluntate signi beneplacito contradistincta.* Atqui etiam isthæc à Deo serio & bona fide dici posse arbitramur, ac ut divina essentia ideo mutationi, aut passionibus non sit obnoxia. Denique cum *Hebr.* VI. 4. 5. 6. & 2. *Petr.* II. 1. expressè insinuetur, Christum eos quoque redemisse, qui ad tempus duntaxat credunt, ac postea fidem abnegant, & nunquam eam resumunt, heic quoque non deest cavillatio. *Scilicet horum temporalem justitiam à mortis Christi meritò promanasse tanquam à causa. Non quod Christus ipsos voluerit à morte æterna per suam mortem vindicare: sed ipsis meruisse hanc temporalem justitiam, ut*

*ab ea excidentes sint fidelibus & vere piis exemplo cavendi à lapsu gravi, & apostasia.* Ast quodnam fundamentum tam violentæ interpretationis è textu ostendi potest, & quod Christus, dum pro his moritur, aliam intentionem habuerit, quam circa eos, qui in fide persistunt? Ejusmodi sane responsionibus forte os obturari potest juvenculis studiosis, & qui, ubi acrius urgeant, torvo magistri vultu, & imperiosa voce protelari possunt. Apud cordatos autem, & qui Scripturas cum reverentia scrutantur, talia vel indignationem vel commiserationem excitant. Et qui tali modo disputat, non veritatem sibi, sed qualemcunque victoriam cordi esse arguit, aut ne ad silentium plane redactus dici queat.

De ordine decretorum divinorum.

§. 85. Inde *Jurieus* capite VII. explicare & vindicare aggreditur decretum absolutæ prædestinationis secundum mentem Synodi Dordracenæ; circa quod cumprimis summa causæ videtur verti in ordine decretorum divinorum, seu quo ordine eadem in signo rationis divinæ, uti loquuntur, sint collocanda. Ubi nos quidem id initio præsupponimus: cum nego-

tium nostræ salutis per principia, viresq; rationis liquido investigari non possit, quid circa idem Deus decreverit, cognoscendum esse ex ipsius revelatione, aut ex operibus, quæ ad istam aliquid conferunt. Cum autem operosa & subtilis machina absoluti decreti à Synodo Dordracena adornata, nuspiam in Sacris Scripturis extet, quam & ipsa structuræ anxietas, & divisionum numerus suspectam reddit, simplicissima ac tutissima via cognoscendi, quid Deus voluerit & decreverit, erit inspicere, quid idem actu fecerit. Cum igitur apud omnes in confesso sit, Deum ab æterno fuisse Ens in se perfectissimum, felicissimum, ἄυ]αρκες; primo omnium eum id voluisse concipimus, ut operibus extra se productis Majestatem ac gloriam suam manifestaret, bonitatemque communicaret; sic ut gloria Dei, divinæque Majestatis revelatio principium & finis omnium rerum sit. Hominem autem uti reipsa creavit, ita & creare decrevit rectum, sanctum, ad adquirendam æternam felicitatem capacem, & quem nulla necessitas extrinseca aut intrinseca, manifesta aut occulta, ad statum istum ab-

dicandum, aut amittendum subigebat. Contrarium enim bonitati Dei repugnat, ac manifesto melius est nunquam existere, quam ea lege existere, ut alicui semper malè sit; adeoque summæ crudelitatis vicem habiturum erat hac lege creationis beneficium. Etsi nec vice versa adfuit aliqua indispensabilis necessitas, quo minus homo spontè primævo statu sese ejicere posset. Ne tamen id temere vellet, Deo visum, statum illum inito cum hominibus fœdere, inter moralia vincula sanctissimo, firmare. Isthoc si ex parte hominis semper servatum fuisset, nihil gloriæ ac Majestati divinæ decessurum erat, si maximè justitia ipsius judiciaria & ultrix in homine objectum non invenisset, cum huic satis materiæ glorificandi Deum etiam justitiæ nomine nasci potuisset è Diabolorum suppliciis. Imo Majestas Dei salva perstitisset, si maximè nemo extitisset, in quo pœna locum haberet. Ex adverso plurimi ex antiquis Reformatis primo loco inter omnia decreta etiam ante lapsum ponebant hoc: Deum voluisse ostendere misericordiam, & justitiam suam; cui fini adsequendo creandos fuisse homines,

eorumque lapſum procurandum, quo utrique exſerendæ objectum foret. Quæ doctrina quidem abſurdiſſima, & ab omni ratione abhorrens eſt, dum decretum de exſerenda juſtitia antè decretum de creatione ponitur. Nam juſtitia uti inter homines eſt ἀρετὴ πρὸς ἕτερον, virtus ad alium: ita ne in Deo quidem intelligi poteſt, niſi poſitis objectis, creaturis virtutis, ac culpæ capacibus. Nam juſtitia in Deo non poteſt aliter concipi, quam juſtitia rectoris & judicis. *Gen.* XVIII. 25. *Rom.* XI. 35. eoque ſubjectos præſupponit. Cum autem juſtitia punitiva creaturas culpabiles ponat, nihil deceſſurum erat divinæ Majeſtati, ſi vel maximè objectum nunquam extitiſſet, in quod iſta exſerere ſe poſſet. Sanè Deus creavit hominem ad vitam æternam, *Sapient.* I. 13. 14. II. 23. 24. Et quando iſte homines punit, dicitur facere *alienum opus.* Inter homines quoque Principi plena ſua Majeſtas conſtat, ſi maximè nunquam aliquem ſupplicio affici juſſerit. Nam etiam non exiſtente exercitio, jus & poteſtas ſalva eſt. Abſurdè quoque ſalvatio, & damnatio hominum ponitur tanquam finis aliquis ultimus,

cum eæ ſint media, quæ ad finem, nempe Majeſtatis & gloriæ divinæ manifeſtationem, facere poſſunt. Igitur ſequentes doctores Reformati, ipſique Dordraceni Patres, ut anteceſſorum ſuorum horridam ſententiam utcunque emollirent, horum Syſtema truncarunt, ac decreto ſuo abſoluto lapſum præmiſerunt, abſtrahendo, cujus culpa aut quo impulſu humanum genus in eundem inciderit. Id quod tamen hanc doctrinam è fundamento inquiſituris prius diſpiciendum eſt; cum iſthæc meditantibus non poſſit non in mentem venire, quo modo, & qua conditione homines ante lapſum illum extiterint; cum lapſus ille à nemine iſtorum ſtatus primævus habeatur. Poſito autem jam lapſu nullibi in Sacra Scriptura extat, Deum ſibi in præſcientia ſua omnes è protoplaſtis naſcituros propoſuiſſe, & ex iis pari jam labe infectis quosdam præteriiſſe, ac ſine remedio in miſeria ſua perire ſiviſſe: alios miſericordia proſecutum, quibus remedia ſalutis paraverit. Quin contra poſt lapſum ſtatim à Deo novum fœdus eſt propoſitum, in quo nulla exceptio adparet, & quo via ad ſalutem omnibus panditur. Ac

potuisset fortè aliquis color inveniri doctrinæ de præteritione ex absoluto beneplacito, si id decretum diceretur versari circa eos, qui proprio lapsu in eam se miseriam præcipitarunt, v. g. Adamum & Evam, ut unum horum misericordia prosequeretur, alterum in miseria ultrò contracta perire pateretur. Ast eam præteritionem ad deinceps quoque nascendos porrigi, qui non peccaverunt ad similitudinem Adami, id æque repugnat divinæ bonitati, quàm si ab initio ex absoluto beneplacito eos ad æternos cruciatus citra intuitum peccati destinasset. Nam quo minus nascerentur, penes ipsos prohibere non erat; ast à jam natis fœdus Dei repudiari, ad imputandum materiam dare poterat. Igitur primum decretum post lapsum est de ineundo fœdere cum hominibus Mediatore Christo, qui caput serpentis conterendo istis viam ad salutem muniturus sit. Id decretum cum fœdus involvat, citra absurditatem absolutum concipi nequit. Sanè decreto, cui primum fœdus cum homine innititur, hautquidquam disponitur, ut homines ex absoluto Dei beneplacito vel æternam felicita-

tem sortiantur, vel morte moriantur: sed subest præstatio ex parte hominis; si legem divinam perpetuo observaveris, vives: si comederis de arbore vetita, morieris. Cum supervacuum & illusorium sit, fœdus inire circa id, quod indeclinabili necessitate, & mero è beneplacito Deus procurare constituerat. Pari modo circa fœdus post lapsum se res habet. Ubi si Deus ex absoluto beneplacito absque intuitu non modo ullius meriti ex parte hominum, sed & absque respectu non rejectæ gratiæ fœderalis homines quosdam in communibus peccati sordibus hærentes ad vitam æternam destinare voluisset, quid opus erat tanti pretii media adornare? Quæ beneficia & jam reprobis annuncianda curare nova crudelitas est, cum exinde nihil aliud quam infelicitas eorum augeri queat. Sed nec in fœdere illo quidquam adparet, quod certos homines ab ejus fructu per absolutum aliquod decretum excludi arguere queat. Uti porro fœdus istud gratuitum est, ac citra respectum ullius meriti ex parte hominum initum; ita & ad vires isti amplectendo suppeditandas Deus omnibus sese pronum exhibuit; quod

citra hoc hominibus in istam miseriam prolapsis fœdus itidem inutile foret. Ut tamen fœderi sua indoles constaret, nec salus hominum, aut perditio per modum machinæ, aut ex regulis motus Physici proveniret; saltem facultas fœdus id repudiandi penes homines relinquenda fuerat. Unde & ex parte hominis ad subeundum illud fœdus nihil aliud requiritur, quam fides, non ut virtus aliqua, sed ut medium acceptandi considerata; quam & ipsam Deus primos gratiæ quasi pulsus non respuentibus dare paratus est. Illi autem, qui fœdus non acceptant, in damnabili suo statu per propriam culpam manent. Cum itaque Deus hominibus lapsis salutem per istud fœdus conferre decreverit, idemquoque singulis fœdus istud non rejicientibus, sed acceptantibus, seu quod eodem redit, sub conditione fidei salutem æternam dare decrevit, reliquis ob rejectum fœdus, i. e. ob incredulitatem intra damnabilem statum relictis, qui ultrò ad perniciem ducit. Quæ omnia liquido insinuantur *Joh.* III. 16. 17. 18. 1. *Joh.* IV. 9. 10. Cum autem Deus hocce fœdus ex mera bonitate & misericordia proposuerit, ab

eodem serio homines ad id invitari, viresque & media idonea ad idem amplectendum præberi, eadem Dei bonitas & fidelitas dubitare nos vetat. Quæ causa enim liberrimum, ac nemini quid debentem, neminique obnoxium adduceret, ut homines per ambigua, obscuraque dicta, aut per verba ab arcano suo sensu abhorrentia illuderet, eaque illusione non nisi infelicitatem eorum augeret? Atque hunc simplicissimum, sacrisque literis, ac ipsi sanæ rationi, quam maximè congruum, decretorum divinorum ordinem circa salutem & prædestinationem hominum esse arbitramur.

Num prædestinatio sit facta citra intuitum fidei? p. 104.

§. 86. *Jurieus* contra aliquot rationibus inficiari conatur, respectum fidei, seu acceptatæ aut non repudiatæ gratiæ fœderalis decretum prædestinationis ingredi. Inter eas prima est, quod *destinatio ad gloriam prior sit præparatione gratiæ, i. e. fide & conversione in ordine decretorum. Ultimum quippe in executione esse primum in intentione. Mentem rectam & sapientem prius cogitare de fine, post præparare media. Salutem æternam esse finem, fidem & conversionem esse media, quæ ducant ad finem. Ergo*

*Deum primo cogitare de fine, id est, de gloria hominum æterna, post de præparanda gratia, qua ducantur ad vitam; adeoque decretum electionis esse absolutum.* Enimverò ſat fragile eſt hoc ratiocinium, è regulis Philoſophicis extructum, ut plurimum limitationes, & exceptiones admittentibus. Ponamus à mente rectè ſe habente primo de fine ſtatui, inde de mediis. Aſt non eſt cogitandum, ſemper decreto perfecto de fine, inde alio de mediis ſtatui; ac prius illud plene abſolvi citra ullam cogitationem de mediis; poſt eodem fixo cogitationem demum ad media promoveri. Sed regulariter diſpoſitio de mediis ingreditur decretum de fine. Quin potius abſurdum habetur, de fine certi quid ſtatuere, antequam de mediis cogitatum fuerit. Ac ejusmodi realis diſtinctio decretorum de fine & mediis intellectus imperfectionem arguit, eoque in Deum, cui omnia præſentia, præterita, futura uno velut obtutu inſpiciuntur, non cadit. Igitur non modo non repugnat, ſed & maximè rationi congruit, ut in decretum de fine ſtatim conditio acceptandi fœderis influxerit. Imo contradictorium videtur, ſta-

tuere, Deum primo absolutè decrevisse de hoc aut illo gloria donando, ac post demum de mediis decernere. Quod enim Deus salva sua bonitate & justitia absolutè, & citra ullum respectum dare poterat, quid opus est tam operosis mediis? Si Deus homini in peccatum lapso absolutè, id est, citra ullum respectum potuit æternam gloriam decernere, quid opus fuit Filii passione? Si figulus ex absoluto beneplacito è luto potest formare vas ad honorem, quid opus est, ut cum eo vase fœdus ineat, ac id promissis, hortatibus, minis impellat, ut eum honorem admittere velit? Nec fortius
p. 105. est alterum ratiocinium: *Prædestinatio nullam habet causam, sed pendet ex solo beneplacito.* Atqui hoc ipsum in quæstione est. Sanè quis neget, ejus causam esse infinitam Dei bonitatem & misericordiam, accedente merito Salvatoris justitiæ divinæ satisfaciente? Externam causam meritoriam ex parte hominis nos quoque negamus, nec fidem pro tali venditamus. Deinde si maximè *fides, conversio, pœnitentia, bona opera essent effectus prædestinationis*, haut inde sequeretur, decretum prædestinatio-

ſequeretur, decretum prædeſtinationis eſſe abſolutum. Ponamus enim, Patrem aliquem decreviſſe, ut filius ſuus augendis opibus ſeſe adplicet. Pro medio placet mercatura; eoque nomine mercatura eſt effectus decreti de ſtudio divitiarum. Num ideo mercatura non potuit ingredi decretum de adplicando filio ad ſtudium divitiarum? Porrò ideo prævifam fidem, non autem bona opera decretum prædeſtinationis ingredi dicimus, quia, cum Deo placuerit interveniente fœdere homines ſalvare, ſine fide, id eſt, ſine acceptatione aut non repudiatione fœderalis ratio planè intelligi nequit; id quod circa bona opera & ſanctificationem locum non habet, etſi hæc ſemper fidem tanquam fructus comitentur. Unde & fideles ad bona opera creati, & præparati dicuntur. Quanquam & in eo errat *Jurieus*, quod noſtratibus opponit, quæ non hos, ſed Pontificios ſpectant; quale & eſt, quod in quinto ratiocinio de *prævifa conditione boni uſus liberi arbitrii* dicit. Tertium ratiocinium deſumitur à ſalute infantum, qui ante uſum rationis decedunt; per quos eum innuere infantes Chriſtianorum

baptizatos è toto contextu adparet. Circa quod non opus eſt, ut nos ſoliciti ſimus, antequam *Juriæus* declaret, quidnam de effectu Pædobaptiſmi ſentiat. Nam noſtrates tradunt, per baptismum fidem iisdem conferri, & ob uſum rationis adhuc latentem gratiæ obicem ab iis non poſſe poni. Ac ſi *Juriæus* negare ſibi integrum ducit, in infantibus ante ſeptimum ætatis annum plenum fidei actum poſſe produci; ſcire velim, unde probaturus ſit, ullum infantem ante plenum
p. 106. rationis uſum ſalvari? Exempla *latronis in cruce, Zacchæi, Pauli*, quæ quarto loco adducit *Juriæus*, extra oleas vagantur, nec ex iis quidquam noſtræ ſententiæ adverſum exſculpi poteſt. Nec magis ſtringit ratiocinium quintum: *Si electio Dei fiat ex prævisione fidei, Deus non eſt eligens, & ſeparans, ſed homo ſeipſum ſeparat*; eoque homo erit cauſa gloriationis, quam tamen Paulus ipſi denegat. Aſt ex noſtratium ſententia homo ſeipſum non ſeparat propriis viribus, eoque cauſam gloriandi non habet, cum omnia bona aliunde acceperit. Nobis præter facultatem oblata repudiandi nihil ſupereſt, quod alias ratio fœde-

tis constare non posset. Denique dicta, quæ *Juriæus* adducit, contra nos nihil faciunt. Dictum *Joh* XV. 16 forte pontificiis opponi potest, non nostratibus. Nos autem rectè possumus dicere; Christus elegit Apostolos non absolutè, sed ex prævisione acceptandæ vocationis. Non autem elegit divitem illum juvenem, qui cum audiret, omnia sibi bona esse relinquenda Christum secuturo, tristis discedebat. *Matth.* XIX. 22. E dicto *Eph.* I. 4. *Deus nos elegit in Christo, ut essemus sancti*, tantùm abest, ut quid contra nostram sententiam exsculpi possit, ut ea potius inde quam maximè confirmetur. Cur enim non dicitur, Deus nos elegit ex absoluto beneplacito, sed *in Christo*, qui non prodest, nisi per fidem eum amplexis? QuosDeus deinceps haut vult in peccatis volutari, sed ut sint sancti, fructusque adeo fidei proferant. Dictum quoque 2. *Thess.* II. 13. sententiam nostram adstruit: *Deus elegit nos ab æterno in fide veritatis* ἐν πίστει ἀληθείας. Idem censendum de dicto *Eph.* I. 11, quod conferri debet cum 2 *Timoth.* I. 9. ubi πρόθεσις illa Christum respicere dicitur, eoque Christus, & quæ eum

p. 107.

adprehendit fides hautquidquam à consilio divinæ voluntatis circa nostram salutem est excludenda, sed potius eidem includenda. Et omnia ex consilio voluntatis suæ facere, non est idem, atque omnia ex absoluto beneplacito absque ullius rei intuitu
p. 108. facere. De cætero rectè *Juriæus* dicit, quod πρόθεσις apud Paulum significet voluntatem opposite ad meritum operum. Sed ea nunquam opponitur fidei. Nihil quoque è dicto *Actor*. XIII. 48. contra nos colligi potest. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam* Sanè ordinati erant, sed non absoluto Dei decreto, sed quia ordini divinitus constituto salutem adepturis sese accommodaturi erant. *In capite nono Epistolæ ad Romanos*, in quo olim Reformati arcem causæ suæ ponere sueverant, non multum sibi præsidii superesse *Juriæus* videtur agnoscere. Adducit tamen *versum* 11. *dicti capitis*. Sed ubi verba, *cum nec boni, nec mali, quid fecissent*, ostendunt, ea sinistre ad præsentem quæstionem adplicari; quippe cum genus humanum prædestinationis objectum ponatur, in peccata prolapsum, adeoque cum jam mali quid fecisset. Dein-

de verba; *major serviet minori*, manifeste arguunt, non agi de electione ad salutem, aut de reprobatione, sed de temporali prærogativa, quam Jacobus, ejusque stirps, præ Esavo ejusque posteris sortitus est. Add. *Genes.* XXVII. 29. 37. 40. Uti & *Junius* agnoscit, Jacobum & Esavum heic non notare personas singulares, sed integras nationes. Sed pertendit nihilominus, eos esse typos electionis & reprobationis. Ast si maximè id admitteretur, tertium tamen comparationis tantùm quæri deberet in negatione respectus ad bona opera, non ad fidem. Enimverò pernegamus, *id quod Deus fecit erga Esavum & Jacobum* circa prærogativam temporalem, *illæsa sua justitia, id etiam posse eum facere erga cæteros homines* circa electionem & reprobationem. Nam potest Deus citra ullius meriti considerationem uni ampliorem, alteri tenuiorem mensuram temporalium bonorum assignare: sed illæsa bonitate & justitia non potest aliquem citra considerationem meriti ad æternos cruciatus condemnare. Ac non magis verum est, totam gentem Idumæam à Deo reprobatam, ut non esset par-

ticeps vitæ æternæ, quam omnes & singulos à Jacobo descendentes inter electos esse. Sanè Idumæi à Judæis subacti in horum sacra transiere. Sic similitudo de figulo non nisi ad prærogativas temporales, earumque negationes adplicari debet. In dicto *Rom.* VIII. 30. ostenditur, quo ordine executio salutis fiat; sed ibidem non dicitur, quod prædestinatio facta sit absque intuitu acceptandæ vocationis. Denique exclamatio *Rom.* XI. 33. non unicè spectat ea, quæ in immediatè præcedentibus capitibus disputantur; sed ad ea quoque, quæ Paulus de negotio humanæ salutis tota Epistola tradiderat. Sanè non minus profunda sunt, quæ caput nonum præcedunt, ut merito homines in admirationem rapere debeant. Quin revera nihil admiratione dignum esset, si Deus citra ullum respectum aliquos ad vitam æternam elegisset, alios istis in se non deteriores præteriisset; sique adeo nuda voluntas pro ratione fuisset. Quin talis agendi modus insolentem potius tyrannum, quam sapientem, mitemque universi moderatorem decere videbatur. Sicuti *Suetonius* de *Caligula* c. 27. inter im-

manis ſpecimina ingenii memorat; *cuſtodiarum ſeriem recognoſcens, nullius inſpecto elogio, ſtans tantummodo intra partium mediam à calvo ad calvum duci imperavit.* Contra temperamentum illud miſericordiæ & juſtitiæ divinæ utique admiratione dignum, & rationi humanæ imperveſtigabile eſt.

§. 87. Circa reprobationem autem nos bonitati, ac juſtitiæ Dei haut quadrare judicamus, ut ea fiat ob ſolùm peccatum omnibus hominibus commune. Sed quia Deus mundum, etiam in peccata prolapſum, ita dilexit, ut ob ejus ſalutem unigenitum Filium mitteret, reprobationis non alia cauſa eſſe poteſt, quam non acceptatio gratiæ fœderalis. *Qui non credit, jam condemnatus eſt; quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei*, extra quem nulla eſt ſalus. Rationes, quas in contrarium adfert *Juriæus*, ſat elumbes ſunt. Viæ Dei, quæ ἀνεξιχνίαστοι, *imperſcrutabiles* dicuntur, non pertinent ad reprobationem, ſed ad totam Oeconomiam humanæ ſalutis. Etſi ſupra non inficias ivimus, ab hominibus diſtinctam rationem de omnibus, quæ à prave curioſis heic

De reprobatione. p. 110.

moveri possunt, reddi posse, v. g. quare hæc gens citius, illa serius vocata sit; quare aliqui homines repetitis vicibus, alii non nisi semel, nec repetita gratia semel repudiata vocati sint. Sed exinde, quia nos talium causam ignoramus, non consequitur; Deum ista citra ullum respectum ex mero beneplacito fecisse. Deinde negamus, per nostram sententiam pretium misericordiæ divinæ, imminui. Nam salus nostra, & media ad eam ex asse à Deo sunt, qui & dat, ut ea acceptari possint; *dat velle, & perficere*, specialem autem gratiam Deus exserit in electos, dum post non rejectam primam gratiam uberiore gradu eos mactat, juxta illud; *habenti dabitur.* Dictum *Rom.* IX. *Deus miseretur, cujus vult*, absolutum aliquod decretum haut infert; nec per eam voluntatem fides excluditur. Nec ex 1. *Thess.* V. 9. sequitur, Deum ex absoluto beneplacito aliquos posuisse ad iram.

**De gratia irresistibili. p. 112.**

§. 88. Inde *capite* VIII. *Juriaeu* multa disputat de libero arbitrio, & *de gratia efficaci, & irresistibili*; quorum plurima nostras Ecclesias planè non tangunt; aliqua paucos nostra-

tium, & aut peculiariter illum, adversus quem iste disputat, quorum incommodæ, aut parum consideratæ locutiones toti Ecclesiæ non debent tribui. Quam ob causam poterat *Jurieus* supersedere isthoc lemmate: *Augustani fratres heic sibi ipsis sunt contrarii*, si meminisse voluisset, quanta dissensio inter Reformatos circa hanc materiam extiterit, & adhuc extet. Cæterum divinam gratiam circa hominum conversionem non agere irresistibili modo, & multa Scripturæ dicta, & infinita exempla evincunt eorum, qui non tantùm primos gratiæ gradus repulerunt, sed & qui post diuturnam ejus quasi possessionem eadem excussa in gravissima peccata prolapsi sunt; & quia cum ejusmodi vi irresistibili moralis, & fœderalis ratio consistere non potest. Cum Deus non ex vi omnipotentiæ, sed in certo ordine nos salvos facere velit, viribus gratiæ ita attemperatis, ut ne in machinæ indolem homo vertatur. Etsi & is fructus sit conversionis & regenerationis, ut fideles magis magisque in bono confirmentur, pravaque resistendi facultas paulatim debilitetur, quo deinceps tentationes

carnis, mundi, ac Diaboli egregiè superent, gratiæque ductum libenter sequantur. 1. *Petr.* V. 10. Cæterum videtur *Juriæus* quoque resistibilitatem, ut ita loquar, gratiæ agnoscere velle, dum dicit: *non externæ tantùm gratiæ, sed & internæ, motibusque à Spiritu Sancto excitatis resisti, eamque adeo inefficacem reddi.* Sed mox in gratia efficaci *distinguit effectus*, ad quos *producendos* destinatur & datur à Deo, ab effectibus, *ad quos hortatur & pellicit tantùm*, v. g. *Esse gratiam, quæ prima dicitur, quæ bonos motus reapse excitat, & novæ vitæ desiderium creat; eadem autem ad conversionem plenam & perfectam solicitat, hortatur, allicit, sed allicit tantùm suasione, non perficit.* Pronunciat ergo; *gratiæ nunquam resisti respectu illorum effectuum, ad quos datur & destinatur à Deo; sed sæpè resisti respectu illorum motuum, ad quos solicitat & hortatur tantùm.* Enimverò non sufficit distinctiunculam aliquam comminisci, sed ejus fundamentum è Sacra Scriptura demonstrandum est. Deinde cum bona fide, qua Deus cum hominibus agit, non congruit, eum ad aliquid hortari, ac pellicere tantum

p. 124.

citra animum id reipſa dandi; pulſare oſtium, ſed nolle, ut id aperiatur. Denique revera quamvis gratiam irreſiſtibilem facit *Juriæus*, circa eos effectus, ad quos à Deo deſtinata & data eſt. Quo ipſo è converſione hominis moralitas tollitur. Eoque è *Jurieu* hypotheſibus mendoſe dicitur, *hominem eſſe cauſam, quod inefficax ſit gratia illa;* quæ tamen à Deo non alio fine data erat, quam ad inanem hortationem, & impulſum, cum in homine nihil propriarum virium ad ſui converſionem extet. Nos contra dicimus; Deum iis, qui primum gratiæ gradum non reſpuunt, ſemper majorem gradum addere velle; eoque ſemper paratum eſſe ad ſufficientem gratiæ menſuram dandam, modo homo nec primum gradum, nec ejus incrementa per propriam malitiam rejiciat. Contra hominem novæ culpæ reum haberi non poſſe, ſi gratiam non admiſerit; ſed ei reſtiterit, qua Deus plenam converſionem apud ipſum operari noluerat. Ex his igitur cuivis, qui mentem à præjudiciis liberare poteſt, liquido, opinor, adparebit, non deeſſe noſtratibus, quæ ad dogmata Reformatorum reponant,

magis, quam isthæc, ad perpetuum Sacræ Scripturæ contextum, &, quem ex eo formamus, de Deo conceptum quadrantia. Nec dubito, quin si ea materia placidè, ac solidè citra cavillationes, & inania diverticula disceptetur, hucusque eandem deduci posse, ut ulterius procedi nequeat; eoque fieri posse, ut disceptando finis harum controversiarum inveniatur.

Cur disputando parum proficiatur.

§. 89. Hucusque progressis haut dividiæ erit quædam strictim annotare circa ea, quæ *Jurieo* super pace inter Protestantes constituenda commentari placuit. Is igitur initio præ- p. 138. supponit; pacem quærenti nuda disceptatione aut disputatione nihil profici. *Nullam quippe partem suo jure cedere, nullam se victam fateri, nunquam unam partem ab altera quasi in triumphum se duci passuram.* Fatemur eo ingenio esse plurimos, cumprimis scholastica pervicacia imbutos, ut sententiam, quam semel arripuerunt, mordicus defendant, & vel rempublicam turbari malint, quam ab opinione placita discedere, si maximè de nulla alia re, quam inani existimatione agatur. Quia tamen non nisi una contradictionis pars vera esse potest, & ex eodem princi-

pio disputantibus demum eo usque perveniendum est, unde ulterius progredi non licet: solam veritatem inquirentibus non debebat erubescendum videri, victas manus dare, eoque errorem exuere. Et cum plurimæ erroneæ sententiæ in Jurisprudentia, Medicina, & Philosophia disputando demum jugulatæ sint, cur non idem in Theologia fieri queat? Præsertim cum in dogmatibus fidei ambitio, & præpostera tuendæ autoritatis cura hautquidquam eo valere debeat, ut veritatis, quam falsæ opinionis jacturam facere malimus. Quin uti nemo facilè tam stultus est, ut ideo morbo liberari nolit, ne ægrotasse videatur: ita & parum sanæ mentis fuerit, erroribus suis immori velle, ne unquam errasse videaris. Cum potius non minus gaudere debeamus exuto mentis errore, quam morbo corporis dispulso. Igitur quod disputando tam parum proficiatur; non est ex ipsa indole controversiarum, velut hæ ad fundum excuti non possint: sed ex animi morbo, multis, Theologicum studium professis, familiari, qui cœlum potius terræ misceri, quam se errasse videri malint. Haut eo minus

iis, qui à præjudicio mentem liberare valuerunt, in proclivi est perspicere, ubi controversia aliqua funditus excussa fuerit, ex utra parte veritas stet. Adeoque disceptationes solidè institutæ fructu non carent, etsi revera victus, qui pro imperio cogi non posse præsupponitur, ut errorem suum ultro profiteatur, compelli nequeat; cujus tamen ratione destituta pervicacia merito insuper habetur.

De abdicatione priorum dogmatum.

§. 90. Inde *Jurieus* quatuor vias conciliandi atque uniendi partes scissas tradit; quarum *prima* est: *si una pars dogmata sua, cultusque suos, uno verbo propriam religionem abdicet, & transeat in alterius partes.* Cujus exemplum fuerit in veteri Ecclesia, quando abdicato Arrianismo partes coaluere, & communi consensu veri-
p. 141. tatem τῆ ὁμοȣσίȣ constabilivere. Sed hanc viam Protestantes conciliandi *Jurieus* nec *possibilem* esse, nec *justam* pronunciat. Sicuti non audiendus sit sequester pacis inter Hispanos & Gallos, si hasce conditiones pacis proponat, ut isti se suaque omnia in horum
p. 142. ditionem tradant. Et quondam in Gallia cum irrisu exceptos, qui Reformatos ad reunionem vocarint hac

lege, ut in gremium Ecclesiæ Pontificiæ redirent. Quo ipso isti ruinam Religionis Reformatæ sub splendido nomine pacis, & unionis quæsierint; cum tamen inter partes bellum componi soleat aliquo dato, aliquo retento. Nos contra dicimus, uti isthæc uniendi dissidentes via perfectissima foret, si una pars abdicato errore in veram alterius sententiam transiret: ita eam nec impossibilem nec iniquam esse. Nam ipse *Jurieus* exemplo extincti Arrianismi eam fieri posse agnoscit; cum tamen dubium non sit, quin olim Arrianis τὸ ὁμοιούσιον non minus cordi fuerit, quam Reformatis absolutum decretum, & quæ inde fluunt. Et cur animus à præjudicio liberari nequeat, ut agnoscat, placitam hactenus opinionem ad genuinum Scripturæ sensum non congruere? præsertim cum inter Protestantes super sola dogmatum veritate certetur, cui si quis autoritatem suam anteponat, temerarii litigii reus est; nec de dominatu & opibus lis sit, pro quibus Pontificii nobiscum pugnant. Unde & absurde exemplum ab Hispanis & Gallis inter se bellantibus desumitur. Hi enim de regionibus,

ac de imperio, certant, adeoque de talibus rebus, quæ dividi possunt. Sed inter nostrates, ac Reformatos certatur de veritate, quæ in partes dividi nequit, non autem de temporali aliquo emolumento, quin ne de externo Ecclesiæ regimine, super quo inter Ecclesiam Anglicanam & Presbyterianos tantopere pugnatum est, qui tamen utrique Reformati audiunt; cum nostrates facilè toleraturi sint, ut, quod quolibet in loco receptum est Ecclesiæ regimen; nec minus ceremoniæ, quibus isti adsueverint, retineantur. Imperitum quoque est, Pontificiorum postulatum ad Reformatos in Gallia comparare cum desiderio nostratium circa uniendos Protestantes. Illi enim hosce sub dominatum Antichristi, & ad profitenda horrenda dogmata pertractum ibant. Nos, ut pauca dogmata, primis seculis ignota, & ab Augustino demum per disputandi fervorem in Ecclesiam invecta, missa facere velint, optamus. Quod si tamen Reformati pertendant, se nondum erroris à nostratibus convictos, non absurdè postulare possunt, ut prius amica & solida disceptatio per scripta potius, quam colloquium instituatur

ſtituatur. Cum denique uti ipſe *Jurieus* agnoſcit, multi Reformati noſtratium ſententiam *particularismo* præferant, ut tamen libertatem aliter ſentiendi ſibi eripi nolint; quorum utique communionem *Particulariſtæ* non abdicant, eoque ipſo dogma id pro fundamentali non habent: quare non demum ad iſtum *particularismum* planè proſcribendum procedi queat, ſi à noſtratibus demonſtratum fuerit, id dogma non ſolùm S.Scripturis repugnare, ſed & ex eo multa dura auditu conſequi?

§. 91. Secundam viam controverſias conciliandi *Jurieus* tradit eſſe, ſi oſtendatur, de vocabulis duntaxat, & rebus leviculis diſputari, & quæ non tanti ſint, ut ideo ſeparatio fieri debeat. Ubi id facilè concedimus, multa inter Theologos agitata fuiſſe diſſidia, quæ unicè ex ambiguo ſenſu vocabulorum promanarint, aut ubi diſſenſus circa voces fuerit, cum in reipſa conveniretur. Poſtquam etiam multæ quæſtiones Philoſophicæ Theologiæ admixtæ fuerint, ac inprimis ſub tenebris Papæus Theologia Scholaſtica orbem Chriſtianum obfuſcarit, infinita ſeges inutilium diſputationum provenit, quas omnes

De Logomachiis. p. 146.

æterno silentio involvi è re fuerit. Sed & id agnoscimus, si quis controversiam quampiam è fundamento excutere velit, id primo inquirendum esse, circa quæ partes conveniant, circa quæ discrepent. Si enim circa summam rerum conveniatur, minuta dissimulari possunt, modo nervus causæ in his non lateat, aut tale quid, ex quo reliqua indirectè everti queant: ac modo altera pars sublesta fide ne agat, & quædam in speciem concedat, quæ dein per reservata, & exceptiones suas eludat. Si etiam quæstiones demum in ejusmodi subtilitatem quasi attenuentur, ut quid una sententia ab altera differat acie mentis vix dignosci possit, sanè præstiterit, illas planè sequestrari. Unde si utrinque bona via res agatur, hac via non spernendum operæ pretium fieri poterat saltem ad minuendas controversias. Nec idonea videtur *Juriæi* ratio, quare huic viæ non diu insistere velit, quia ea non sit *ad omnium vires & captum satis accommodata.* Ast tanto magis par erat, manum admoveri à paucis illis, qui & acumine, & æquitate præditi sunt, queis ad fugandas præjudiciorum tenebras opus est.

Sanè qui ferio pacem Ecclefiæ quærunt, minime omnium curare debent homines turbido ingenio, & qui materiam vitilitigandi fibi eripi non patiuntur; & qui à pueritia ad canos usque enucleantis inutilibus quæftionibus tempus triverunt, ac inanibus ita animum imbuerunt, ut nihil acerbius fit, quam fi quis demonftret, ipfos per totam vitam magno conatu magnas nugas egiffe. Enimverò ideo nos hanc viam non fufficere cenfemus, quod controverfiæ, de quibus hactenus fermo fuit, non intra vocabula confiftant, fed circa res graviffimas vertantur; nempe quem conceptum fibi homo de Deo formare debeat, & quam fiduciam in promiffis ejusdem collocare poffit; quam diftinctiones voluntatis arcanæ & revelatæ, figni & beneplaciti valdè labefactant.

§. 92. Tertiam viam controverfias conciliandi *Jurieus* vult effe, *fi manentibus controverfiis in integro, unaquaque parte fua placita fervante, & propugnante, concordia fervetur beneficio eorum, de quibus convenit inter partes diffidentes, libertate unicuique relicta, quid voluerit, fentiendi per mutuam tolerantiam.* Ubi in eo De tolerantia.

quidem facilè *Jurieo* adſtipulamur, in Belgio Unito circa tolerandas quasvis Religiones in exceſſu peccari: & quod, dum id præcipuè à quibusdam agitur, ut creditu neceſſaria intra anguſtos, quantum fieri poteſt, terminos redigantur, nil ferè Chriſtianum in Religione maneat. Fortaſſe quoque non inficias iverim, apud multos noſtratium Theologorum deprehendi calidum nimis zelum, & à ſcientia & diſcretione deſtitutum, quo agitati ſæpe in dogmata debacchantur, quæ ipſi ſolidè non intelligunt, & adverſus quæ odio, per alios ipſis non ſapientiores indito, flagrant: aut qui ſaltem controverſias ita tractant, ut magis ad eas in æternum alendas materiam conferre, quam circa easdem imminuendas operam navare videantur.
p. 152. Non valdè quoque refragabor præſuppoſito *Juriæi*, quod *citra tolerantiam pietas & pax in Eccleſia conſervari non poſſit*; modo id juſto latius non extendatur. Sed quod ad probandam eam tolerantiam *Jurieus* exemplum Eccleſiæ Romanæ allegat, id laudari non poteſt. Hujus enim Eccleſiæ inſtituta omnia non tendunt ad ſtabiliendam divinam veritatem,

ſed ad firmandum illegitimum dominatum, obtentu Religionis Chriſtianæ introductum. Hic modo ſalvus perſiſtat, quid de cætero diſputetur, parum curæ eſt. Doctrina autem de omnipræſentia Chriſti ita à noſtratibus eſt explicata, ut merito obſoletum ubiquitatis convitium recoqui non debuerit; cum eam doctrinam noſtrates non ulterius porrigant, quam quo expreſſa Scripturarum dicta ducunt, ac ut ne indiſſolubilem naturarum in una perſona conjunctionem divellant. Multo minus è tenebris erui, ac noſtris Eccleſiis poſt ſeſqui ſeculum exprobrari par erat abſurdum *Flacii* dictum, inter diſputandi fervorem imprudenter jactum, imprudentius defenſum, quod neminem credo aſſeclam invenit, & cum autore ſuo dudum evanuit; imò cui multi credunt injuriam fieri ſententia, quæ vulgò ipſi tribuitur, velut qui rectè ſenſerit, licet aliquando incommodè locutus ſit. Ut porrò particulariſmi ſui tolerantiam eo facilius perſuadeat *Juriæus*, negat eidem invidiam faciendam per pravas *conſequentias*, quas noſtrates inde ſolent deducere, ipſi contra eas nec admittant, nec videant. p. 165.

Aſt nos contra dicimus, uti ex veris præmiſſis falſa concluſio conſequi non poteſt, ſiquidem forma rectè ſeſe habeat: ita ſi ſalva forma è præmiſſis pravi quid promanet, ſaltem aliquam præmiſſarum vitio laborare neceſſum eſt. Nec ideo id vitium tollitur, quia præmiſſarum autores conſequentiam ſeſe videre negant; multò minus ſi per animi pervicaciam eam admittere nolint. Nam qui propoſitionem aliquam adſtruit, non ſolum pro hac tenetur, ſed & pro omnibus, quæ per neceſſariam connexionem ex iſta deducuntur. Eoque ſi à noſtratibus per legitimam conſecutionem citra cavillationem & calumniam è doctrina particularismi pravi quid deducatur, huic ſententiæ addicti pro eo quoque reſpondere tenentur, ſi maximè dicant, ſe conſequentiam non admittere; cum id perinde ſit, atque conceſſis præmiſſis concluſionem negare: niſi idonea reddatur ratio, quare poſterius è prioribus non rectè inferatur. Deinde dicit: ſi maximè particularismi doctrina erronea eſſet, per eam tamen *fundamentum fidei non labefactari*, ſeu eum errorem non eſſe fundamentalem. De hoc quid nobis

videatur è ſupra traditis colligi poteſt. Equidem ob ſolum eum errorem nemini ſalutem abjudicaverim. Cum genuino tamen Theologiæ Syſtemate eam conſiſtere poſſe, nego. Quæ *Jurieus* cum adverſario ſuo prolixè disputat, ſigillatim excutere noſtrum non eſt, cum nos diverſam ab iſto viam ingrediamur. Neque conſequi arbitramur; quia ab hominibus profanis, & qui de rebus divinis extra Scripturam ratiocinari inſtituunt, non minores ſcrupuli moveri ſolent contra noſtratium ſententiam, quàm contra particularismum; igitur unam doctrinam non eſſe meliorem altera, aut non propius ad S. Scripturæ mentem accedere. Et ſi quis profanorum hominum cavillationes curaret, ei etiam ratio habenda foret Turcici ratiocinii; Deus non habet Filium, quia non habet uxorem. Nec ideo Paulus Chriſtum crucifixum prædicare deſinit, quia ea doctrina Judæis ſcandalo, Græcis irriſui erat. Sed nec ad id probandum adſtringimur, quod Lutherus in initio, aut alii quidam è noſtris Eccleſiis circa hanc materiam docuerunt; cum nec in iſtius, nec ullius doctoris verba juraverimus,

ſed ſolius S. Scripturæ autoritatem omni exceptione majorem agnoſcamus. Et ſi maximè ponamus, Lutherum ſententiam *particulariſtarum* ſecutum, eamque complures per annos ab noſtratibus Eccleſiis haut fuiſſe rejectam; (quod tamen aliis preſſius excutiendum relinquimus,) ac Ægidium Hunnium vel primum vel inter præcipuos priſcam, & ante Auguſtinum primis ſeculis receptam doctrinam revocaſſe, & in Eccleſias ſcholasque noſtrates introduxiſſe: id ipſum tamen usque adeo nobis dedecori non ducimus, ut potius laude dignum ſit, prius receptam ſententiam in melius mutaſſe. Eoque cum Reformati videant, abſolutum ſuum decretum tantopere concordiæ obeſſe, cujus ſtudium tam enixum verbis profitentur; quare pro eo tanquam pro aris & focis pugnare non omittant? Quæ adverſarius *Juriæi* circa doctrinam *Amyraldi*, & quorundam aliorum Gallorum judicavit, ea noſtratibus Eccleſiis præjudicare non poſſunt. Ac præterquam quod iſta à reliquis Reformatis acriter ſit impugnata, etiam noſtrates dudum obſervarunt, illos æque ac reliquos in centro

doctrinæ de prædestinatione, mediisque salvandi ac decreto reprobationis cum cæteris convenire, cum hoc tantum discrimine, quod Amyraldus, & socii exsecutionem decreti, non decretum ipsum, suspendunt à conditione impossibili, & à Deo per æternum decretum reprobis absolutè denegata, nempe, *si possent credere.* Quod Deus absolutè noluit, ut possent. & absolutè voluit, ne possent. Sic ut istorum temperamentum inane & illusorium sit. Id quod & satis adparet, si quæ *Juriæus* circa eorum sententiam commentatur inspicias. Quod *Juriæus* prolixè ostendit, post Augustinum super doctrina de gratia multas fuisse disceptationes, quæ tamen ideo in schisma haut eruperunt, id nos ad cœcam tolerantiam non adstringit; cum ab eo tempore doctrina Christiana multis tenebris offundi cœperit, ac summa Theologiæ ferè ad inanes & subtiles disceptationes revocata fuerit. Rectè autem idem dicit: *Primis post Christum seculis; antequam ulla corruptio esset in Ecclesiam invecta, de prædestinatione & modo gratiæ divinæ non litigatum. Tunc boni & puri Christiani hæc arcana Dei penetrare &*

p. 225. p. 235. p. 239.

*& invadere non tentarunt. Utinam etiam hodie eadem modestia usi doctores à disquisitionibus illis curiosis temperarent.* Ast cur Reformati hoc sibi
p. 240. dictum non patiuntur? Denique octavum argumentum pro suadenda tolerantia, quod Reformati, si nostrates particularismum tolerare velint, vicissim alios nostratium errores tolerare velint, in materia fidei locum planè nonhabere arbitramur, cum longè plus ad concordiam facturum esset, si utrinque errores exuantur. Etsi nos errores istos, quos *Juriaus* in compensationem deducere vult, haut agnoscamus. Nam præsentiam corporis Christi in Sacra Cœna *realem* quidem profitemur, sed *carnalem* negamus. Præsentiam *corporis corpoream* sine sensu dici arbitramur. Nec, quas Pontificii heic nectunt consequentias, nos tangunt, qui unicè verbis institutionis innitimur. Nec ullum periculum est, ut è nostra sententia panis Eucharisticus iterum adoretur, ac idololatriæ materiam præbeat. Ubiquitatem qualem quidam Reformati nostris Ecclesiis affingunt, nemo non nostratium abhorret. Nemo quoque nostratium agnoscit, *humanam naturam*

*in Christo factam esse omniscium, omnipotentem, omnipræsentem* hactenus, quasi hæc idiomata ejus naturæ facta sint propria, sed quia in persona τ8 λόγ8 eidem sunt communicata. Denique controversiæ nostratium super necessitate bonorum operum in fundo logomachiæ erant, & revera meritum eorum non nisi à justificationis articulo exclusum fuit, & si à quibusdam erratum fuit, inde contigit, quod articulos de justificatione, & sanctificatione non rectè distinguere norant. Cæterum quæ prolixè de tolerantia, (Ecclesiasticam intelligimus) commentatus est *Juriaus*, fortasse locum poterant invenire, antequam separatio Ecclesiarum Nostratium & Reformatarum facta esset. Sed post divortium factum nova transactione opus fuerit.

§. 93. Quarta denique via componendis controversiis *Juriæo* habetur, *si omnes dissidiorum occasiones præscindantur, & exulare jubeantur, si alto silentio premantur & sepeliantur controversiæ, si ea, de quibus conveniant partes, publicè doceantur, cætera sileantur, sique adeo disputationibus silentium imponatur.* Circa quæ ta- De silentio.

men nobis aliquo grano salis opus videtur. Ante omnia enim fuerit dispiciendum, num ex iis dogmatibus, in quibus utraque pars consentit, plenum ac sibi undique constans Systema doctrinæ Christianæ confici possit, ac num, quæ in controversia manent, dogmata, id Systema directè aut obliquè non convellant. His enim positis certo judicare licet, quæstiones, quæ supersunt, esse problematicas, & extra fidem; circa quas etsi cuilibet suo sensu impune abundare liceat, melius tamen fuerit, easdem plane silentio involvi, 1. *Timoth.* VI. 4. 5. 2. *Timoth.* II. 16. 23. *Tit.* III. 9 Ast si controversiæ intra Systema Theologiæ cadant, adeoque ad integritatem doctrinæ Christianæ pertinere censeantur, doctoribus circa eas silentium plane imperari nequit. Hoc tamen utique injungi potest, quin & debet, ut in iis Scripturam ducem unicè sequantur; ut vehementes pravosque affectus exesse jubeant; ut eas modestè, cordatè citra acerbitatem, & cavillandi studium tractent; ut ubique prudentia, comitas & moderatio dominetur. Quod si autem aliquod dogma utique ad integritatem doctrinæ Chri-

ſtianæ pertineat, id quare apud plebem occultandum ſit ratio non adparet; quin eo ipſo illud ſuſpectum redderetur. Cur enim non omne conſilium Dei hominibus ſit annuntiandum? *Actor.* XX. 27. 2. *Petr.* I. 19. Equidem ineptum judicaverim concionatorem, qui plebis aures diſtinctionibus, & terminis in ſchola ab utraque parte receptis obtundere inſtituat. Aſt quin noſtratium doctrina de prædeſtinatione perſpicuis verbis majori cum fructu apud populum proponatur, quam Reformatorum dogmata, neminem, qui ſine præjudicio utraque conſiderare velit, ſalva fronte inficiari poſſe crediderim. Et quorſum pertinent ea *Juriæi* verba? *Nemo noſtrum non ſæpius inculcat auditoribus ſuis Dei in homines philanthropiam, & bonitatem, & clementiam, & ad miſericordiam propenſum affectum, & in omnes benefaciendi animum. Cæterum de abdita illa profunda providentia, ſecundum quam gratiam pluribus denegat, ſobriè loquimur, ne incauti vel impii inde occaſionem ſumant Deo indigna tribuendi.* Id eſt, de voluntate ſigni, quæ inanis & illuſoria eſt, multis perſtrepimus: de vo-

luntate beneplaciti, quæ seria & efficax est, mussitamus; quod earum voluntatum repugnantia à communi hominum sensu abhorreat, & è qua dubitatio potius, & aversatio, quam fiducia & veneratio erga Deum generari
p. 255. apta est. Sicuti & non facilè cuipiam sincerè pio persuadebit *Juriæus*, quæ de universalitate redemptionis à Christo factæ comminiscitur. In universum tamen facilè concedimus, propo-
p. 260. sitas à *Juriæo* methodos conciliandi controversias per *dogmatum benignam interpretationem, per mutuam tolerantiam, & per silentium* ad mitigandam animorum exacerbationem, & ad præparationem concordiæ aliquid facere posse; Sed radices dissidii per easdem tolli non posse. Unde & *Juriæus* peculiari capite duodecimo media promovendo, & consummando operi reconciliationis, conditionesque piæ unionis præscribit. Sed hæ etsi in se non adeo difficiles, & ex parte non iniquæ, aut absurdæ videantur; tamen qui genium seculi, ac indolem hominum, quos ea res tangit, penitius perspexerit, ista cum fructu tentari, aut ad optatum finem deduci haut posse, facilè agnoscet; ac credide-

rim paucos ex utraque parte in propoſitas ab iſto conditiones conſenſuros. Nec ſchisma tolletur, ſi maximè utraque pars Auguſtanam Confeſſionem ſubſcribat: cum hæc à Pontificiis nos diſcriminet; controverſias inter Proteſtantes plerasque planè non, aliquas leviter duntaxat, tangat. Denique quam ſub finem *Jurieus* annectit confeſſionem omnibus Proteſtantibus communem, noſtrates quidem haut temere admittent; quod ea ſub obſcuris, ambiguis, aut laxis dictionibus illa ipſa dogmata inſinuet, de quibus præcipuè pugna eſt.

§. 94. His igitur omnibus expenſis mihi quidem videtur, diſſidium hoc una vice, & uno quaſi ictu tolli non poſſe; ſed à tempore medicinam eſſe expectandam, cujus tractus multum ad conciliandos invicem animos facere poteſt. Interim id quam maximè ad rem faciet, ſi non ſolùm Proteſtantes Principes haut obſtantibus iſtis controverſiis communem cauſam contra Pontificios, æque utrisque infenſos, tueantur, ſed etiam utriusque partis Theologi communem hoſtem impigre impugnent. Si ipſi controverſias inter ſe placidè ac modeſte tractent; Concluſio.

inhumanis odiis, cavillationibus, calumniis, damnationibus abstineant, ac ob dispares sententias officia Christianæ, & fraternæ charitatis ne omittant; si denique non tam certent, uter alterum disputando vincat; quam uter enixiore studio vitam ad præcepta Christi conformet. Ita sperandum est, Spiritum pacis exulceratos animos paulatim sanaturum, ut abdicatis erroneis, aut inanibus in solidam fidei unitatem conspirent.

Si quid in hoc opere à genuino sensu Sacrarum Litterarum abhorrens præter intentionem mihi exciderit, id indictum esto.

*S. D. G.*

IN-

# INDEX RERVM
## ET
## ARGVMENTORVM IN HOC LIBRO PERTRACTORVM.

Com-

Sacri-

Tibe-

S. D. G.